



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis  
ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCX**

Lib. XVII. Religio variis artibus propugnata & propagata per Europam à  
Societate Jesu, ab anno MDXCI. ad MDCXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XVII.  
PARTIS V.  
HISTORIÆ SOCIETATIS  
IESU.

*Argumentum & Synopsis Libri XVII.*

Religio per SOCIETATEM IESU defensa, illustrata, &  
propagata, in variis Europæ locis, ab anno  
MDXCI. AD MDXCVI.

I. **R**ELIGIO contra Ruthenos Schismaticos propugnata in Brasana Synodo. II. Contra hereticos publicè ac privatim defensa, & opportunè munita præsiidiis in Polonia, Germania, Gallia, & Hollandia. III. Eadem in variis urbes, unde pulsa fuerat, restituta. IV. Illustrata & propagata obeundis Missionibus, quarum insigniores nonnullæ recensentur, tum peractæ in Europa, tum ab Europa profectæ ad Græcos, Mingrelos, Maronitas, Chaldaeos, &c. V. Subjunguntur varia artes ad fructum uberiozem è Missionibus colligendum. VI. Eadem religio amplificata & ornata inducitur, aut renovatis, operibus aliquot illustrioribus publica pietatis. VII. Navata utiliter opera explicandis doctrina Christiana elementis; nec non tradendis Spiritualiibus Exerciitiis. VIII. Instituta bonis moribus ac litteris juventute. IX. Variis sodalitatibus condendis non modo ad excolendam ætatem teneram, sed etiam provectiorem. X. Denique traducendis ab errore ad veritatem, aut à vitio ad virtutem, hominibus. Exempla quadam insigniora proferuntur.

**A**RGUMENTUM ingens ingredimur, & cum omnium religiosorum Ordinum, tum verò Societatis nostræ maxime proprium, Religionem in variis Europæ, Asiæ, Africæ, & Americæ, partibus ab ea defensam, illustratam, & propagatam, Deo faustis aspirante laboribus. Initium ab Europa ducimus, in qua religio contra schismaticorum & hereticorum conatus à Societate non uno in loco fortiter propugnata fuit: restituta multas in urbes, unde fuerat ejecta: demum illustrata, & propagata præsertim inter catholicos, obeundis Missionibus, revocandis ad bonam frugem improbis, & probis in pietate confirmandis.

RUTHENI, sive Russi, Russiam Rubram obtinent, Poloniæ provinciam, quæ maximè ad Austrum vergit, imminetque Transilvaniæ & Hungariæ superiori.

Græ-

Græcicum sequuntur in sacris morem, & Græcorum schismate, atque erroribus vulgò sunt implicati. In iis ad Ecclesiæ Romanæ Fidem & concordiam revocandis operam feliciter impenderunt circa annum MDXCIV. Patres Martinus Laterna, & Gaspar Nahaius. Jam plerosque sacerdotes ac dynastas, in primis vero Ducem Zaslaviensem, ejus liberos, aulamque universam, cum feminis aliquot Principibus à schismate dimoverant. Restabat unum ad sancendam Ecclesiæ Ruthenicæ cum Latina consensionem, ut synodus haberetur, quæ manum ultimam rebus in optimum adductis locum imponeret. Id vero ut secundum proborum omnium vota quamprimum fieret laboratum est a Patribus summa contentione, tum apud Summum Pontificem Clementem VIII, tum apud Ruthenos antistites proceresque. Brestiam convenire placuit (oppidum est Poloniae majoris, in Cujavia.) Probavit consilium Stanislaus Karnkovijs, Archiepiscopus Gnesnensis, Poloniae Primas: probavit ac promovit sedulo Michael Rahoza, Russiae Metropolitanus. Brestiam igitur Patres Nahaius & Laterna profecti anno MDXCIV. plurimos Ruthenorum præfules & parochos adduxere. Adfuerunt Summi Pontificis & Latinorum nomine Demetrius Soliecovius, Leopoliensis Archiepiscopus; Bernardus Macziovskius, postea Gnesnensis antistes, & inter Purpuratos Patres demum cooptatus; ac Stephanus Gomolinkius, Episcopus Chelmenfis. Nec defuerunt legati Regis Poloniae, per quos effectum est, ut necessaria pax & securitas synodo constaret. Id sapienter provisum à Sociis. Quippe ad synodi & concordiae nomen efferati defensores schismatis, factiosorum armatam manum comparaverant, per quos proborum consilia disturbarent. Inanes impiorum minæ & arma ceciderunt. Compositum sancitumque communi consensu negotium Unionis; laudata Societatis in eo promovendo sedulitas; decreta denique legatio Ecclesiæ Ruthenicæ ad Romanum Pontificem. Hanc obierunt Hypatius Pocyjeus, antistes Volodimiriensis; & Cyrillus Terleckius, Episcopus Luceorjensis. Datum legatis mandatum ut Summo Pontifici renunciarent synodi nomine, Ruthenos Græcum ritum in Polonia & Lithuania sectantes, eam cum Ecclesiâ Romana concordiam profiteri, quæ olim inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam vigeat, quæque Isidoro Ruthenorum, & Bessarione Nicæno Archiepiscopis adjuvantibus, renovata in concilio Florentino & constituta fuerat. Legati Urbem ingressi Novembri mense anni MDXCV. & in Vaticana, quæ Constantini nuncupatur, aula, affusi pedibus Summi Pontificis, in Cardinalium & procerum frequenti corona, catholicae Fidei professionem ediderunt. Sic ad Ecclesiæ Romanæ communionem redire feliciter, post gravissima multorum annorum dissidia, Rutheni. Exstant rei tantæ Acta conscripta singillatim, cum omnibus, quæ ad Ruthenorum nomen, mores, & religionem spectant, apud Cardinalem Baronium, in peculiari commentario, quem Tomo VII. Annalium subjecit. Anno sequente antistites ac dynastæ Rutheni conventum ad ea firmanda, quæ Romæ peracta fuerant, habuerunt: in eoque P. Petrus Scarga, Regi Poloniae à concionibus, faustum ac fortunatum fœdus illis egregia oratione gratulatus est.

Erunt fortasse qui rescire paulo distinctius cupiant quo primum tempore schisma Græcicum in hanc Poloniae partem irreperit: quo rejectum aliquandiu pacto, quo deinde acceptum confirmatumque fuerit: id quod apud Anna-  
 lium Ecclesiasticorum scriptorem laudatissimum desiderari videtur eo loco, quem indicavimus. Universam Russiam Christiana suscepisse sacra constat è veteribus Russorum monumentis, ad annum Christi nongentesimum nonagesimum: cum Wladimirus Russiae Princeps baptizatus est à Michaeli Metropolita, natione Græco, religione catholico. Tunc sepultum penitus jacebat schisma, Phorio, auctore præcipuo funesti dissidii, condemnato jamdudum in octava Synodo Oecumenicâ, & extincto. Feralis discordiæ faces excitavit sub annum MXLIII. Michael Cerialarius, Patriarcha pariter C. P. Data est opera diligenter à Jaroslao Uladimi-  
 riade, qui Russiae præerat, ne regionem afflaret rediviva pestis. Eligendum curavit anno MLI. Metropolitanam Russiae Hilarionem, natione Russum, Fide ac studio impensè catholicum. Huic alii deinde successi sunt æque catholici, & cum Romano Pontifice communionem litterarum, obsequio, Fide, non minus conjun-

cti,

S. I.  
 RELIGIO CON-  
 TRA SCHISMA-  
 TICOS RUTHE-  
 NOS à SOCIETA-  
 TE JESU DE-  
 FENSA.

1.  
 Opera navata  
 in synodo Bre-  
 stiana.

\* Editio Romæ  
 anno 1596.  
 pag. 677.

2.  
 Græcici schif-  
 matis apud Ru-  
 thenos origo, &  
 etates variæ.

eti, quam a Patriarchis CP. schismate infectis alieni. Postquam Græci ad ejuſdem Romanæ Sedis imperium & communionem in Lugdunenſi concilio \* redierunt, Ruſſi Metropolitæ ſuos ab iisdem, ut ſolebant antea, petivere.

Sub annum MCCCXX. ingens facta eſt rerum in deteriorem ſtatum inclinatio. Gediminus, Magnus Lithuania Dux, Kiovia & Volhinia occupatis, exactiſque Ruſſi nominis Ducibus, præfecit Ruſſiæ Mindophum, è Lithuanis ortum Principibus, Chriſtianum illum quidem, ſed ritui deditum Græcanico & ſchiſmatici. Eo favente irrepiſit in Ruſſiam Græca labe, at furtim, & latebras captans. Quippe Volodimirus Lithuania Ducis filius, & Kiovia Principatum adminiſtrans; nec non Alexius Metropolita, qui ob vitæ ſanctitatem inter Divos à Ruſſis colitur; Alexander Vitoldus, Lithuania Dux; Ladislaus & Caſimirus Polonia Reges impiam luem opprimere ſedulò conati ſunt. Erumpebat nihilominus identidem; & ut eſt novitatis ingenium, animos è damnis ſuis & occultis incrementa capiebat. Proſtigata omnino videbatur poſt Concilium Florentinum, Græcis ad Romanæ Sedis auctoritatem denuò revocatis \*; & alente concordiam, qui Concilio interfuera, Iſidoro Theſſalonicenſi, Kiovia Metropolita, cujus eruditionem ac pietatem Romanâ deinde purpurâ Eugenius IV. ornavit. Cum vero Græci, parum fidei datæ memores, paulo poſt ad ingenium redirent, Ruſſi ſchiſmatis fautores, ſuffragantibus Moſchis, apertius rebellarunt; & Gregorio Ruſſiæ Metropolita, quem Pius II. Iſidoro ſubrogaverat, rejecto, alium ſibi Metropolitam elegerant.

Tunc ſchiſmatici prædire ſuis è latebris auſi, templa etiam condere, & ſua in iis habere conventicula cœperunt. Renascentem hydram contudit S. Princeps Caſimirus, effecitque apud patrem ne ſchiſmatici ſua templa vetuſtate collabentia inſtaurarent, aut nova deinceps conſtruerent. Suffectus Gregorio Metropolita Miſael, antea Smolencenſis Epiſcopus, de ſententia procerum legationem ampliſſimam ad Sixtum IV. miſit \*: in qua Eccleſiæ Græco-Ruſſæ (nam ritu Græco Ruſſi plurimi utebantur) nomine, illum Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ caput, Vicarium Chriſti, & Petri ſucceſſorem, agnoſcit. Non aliter aut ſenſerunt aut locuti ſunt Metropolita conſecuti uſque ad annum MDXX. quo Jonas quidam, genere Moſchus, Metropolitanum adeptus ſolium, ſchiſma pene proſtratum erexit. Paſtorem ſchiſmaticum ſecuta ſunt oves, neque tantum ex humili plebe, ſed præcipua nobilitatis capita, duce potiſſimum Conſtantino Oſtrogio, è veterum Ruſſiæ Ducum ſanguine prognato; cui Sigismundus I. ob rem in bello geſtam feliciter, Palatinatum Troceniſem contulerat. Reſiſterunt acriter proceres catholici. Hoc unum impetrarunt, ut regio diplomate caveretur, ne quis unquam ſchiſmaticus ad rempublicam adminiſtrandam adhiberetur. Multo deterior ſub Sigismundo Auguſto religionis conditio fuit, ſegni Princeps, qui catholicorum ſupplices libellos & poſtulata diſſerre in craſtinum ſolebat: unde illi nomen Gioironi, id eſt, Craſtini, ſive procaſtiantis, datum. Spreſtis legibus, quas optimi Principes præclarè conſtituerant, Hæreſis & Schiſma per Lithuaniam ac Ruſſiam impune volitarunt. Crevit impiorum audacia poſt Stephani Bathorii mortem: & ab iis denique impetratum fuit, ut nemini ob cauſam religionis, periculi quidquam damnive crearetur.

Obviam ire tot malis non ſegniter ſtudit Sigismundus III. ſtrenuum Metropolitanum naſtus Michaellem Rahoſam, qui anno MDXC. congregatis cleri primoribus, importata à ſchiſmate per tot annos clades, & imminetia pericula demonſtravit. Aſſenſi ſunt præ ceteris egregio Metropolita Epiſcopi Luceorienſis, Pinſcenſis, Chelmenſis, Leopoliſenſis, Wolodimirienſis, & Preſmilienſis. Quibus urgentibus indiſta, quam memoravi, ſynodus Breſtana. Diſtum anathema in eos, quicumque ſchiſma ſectarentur. Acta ſynodi confirmata variis locis ac temporibus: Luceoria anno MDXCVIII. Polocia MDC. Lublini MDCIII. Vilia MDCIX. Tot fulminibus obriti non ſunt ſchiſmatici, præſertim monachi, litterarum ſacrarum æque ac profanarum rudes, eoque pertinaciores. Breſtanam ſynodum oppugnarunt, inito cum Calvinianis fœdere: lites Epiſcopis, concordia patronis intentarunt in publicis regni comitiis. Regis ac ſenatorum decreto repulſi

\* Anno 1274.

\* Anno 1439.

\* Anno 1476.

pulsi damatique, ad vim & arma confugerunt. Immissus ab iis sicarius anno MDCIX. Metropolitam Hypatium, in medio Vilnensi foro luce palam aggressus, ejus jugulum gladio appetiit: cumque optimus præful furenti manum objecisset, duos dextera digitos abscidit. Gregorium Hrekwiczum, Velamini Rutski, qui successerat Hypatio, Vicarium generalem, domo sua per vim avulsam in Borysthenem demersere: nihil demum frandis, perfidiæ, impietatis intentatum reliquerunt. Exarsit atrocior furor circa annum MDCXX. Longa est historia, longæ ambages: quæ cum in sequentem Historiæ nostræ partem incidunt, data occasione referentur.

Interim in iisdem Ruthenis sive continendis in suscepta concordia, sive à pristino schismate revocandis collocatus est feliciter labor annis consequentibus, ac præsertim MDCXIII. quo in Russia mille & quadringentis partim schismate, partim hæresi Calviniana irretitis funesta detracta sunt vincula. Fortunato labori moram non levem injecere Batzkores: sunt isti Russorum schismaticorum sacerdotes & doctores. Præerat illis Munkasiensis præful, id nominis fortis a Munkasio, cœnobio Basilianorum Calogorum (sic monachos Græcos vocant) celeberrimo. Cum eo sermonem nostri sæpe contulerant; nec cessabant hominem cohortari, ut ad Ecclesiæ Romanæ communionem cum sacerdotibus suis rediret: sed conatu semper irrito. Aliam igitur tentare viam placuit ineunda istius concordia. Appellatus est Athanasius Krupetskyus, Premisliensis antistes, sententia & voluntate cum Ecclesiâ Romana conjunctissimus. Ejus auctoritate ac rationibus permoti Basiliani monachi, Ruthenique sacerdotes plurimi juraverunt in verba Romani Pontificis, id unum modo præsci moris sibi referentes, ut Græcanico ritu sacris operari liceret. Aliorum sopita potius, quàm extincta pertinacia in immane scelus paulo post erupit: adeo agrè vulnera, quæ fecit hæresis, coalescunt! Sacram ædem, Deiparæ Virgini dedicatam, tertio ab Hommona lapide, Calvinianus furor everterat. Eadem postmodum restituta, miraculis & populi concursu celebrabatur: ipisque sacra Pentecostes diebus affluerat piæ supplicantium ingens agmen. Catholicus Uladica, (sic antistes suos Russi vocant) ut sacram ornaret ædem, ejus fores tantisper ocludi jussit. Conclamant schismatici excludi se templo, non ferendam injuriam. Simul corripunt vectes, & valvas parant dejicere. Prodit antistes, ac furiosos lenire, verbis tentat. Sed cum nihil proficeret, recepit se in sacrarium, ubi ab impia multitudo per fenestram telis impetitus crudeliter, vix a superveniente Drugethio Comite, cruentus & semianimis ereptus est. Ejus illa prima vox audita fuit, qua rogabat Comitem ut improbis ignosceretur. Scelerata factio refugerat in montes, conscientiam criminis, & immisforum à Drugethio militum metu. Uladica lenitas misericè illi populum conciliavit, & catholicam illustravit religionem; quæ tales expetit à vexatoribus suis poenas, neque aliter injurias ulciscitur, quàm parcendo & ferendo. Quo major esset excolendæ apud Ruthenos religionis facultas, dedit operam Aquaviva ut linguam Estonicam, Lothavicam, aliasque in hoc usitatas tractu nostri accuratè condiscerent. Exstant ejus ad Lithuania Provinciam litteræ, in quibus quæcumque ad earum linguarum studium pertinent, singillatim præcipit.

Hic datus in Russia præcipue Schismaticis labor: cum hæreticis tam sæpe, tot in locis, inita sunt certamina, ut enumerare singula difficile sit. Levartovia non procul distat Lublino. Annos complures caruerat sacerdotibus catholicis, quia in hæretici dynastæ potestate oppidum erat. Sed cum ab ejusdem heredibus oppigneratum fuisset Nicolao Firleo, Palatino Cracoviensi, apprimè pio & catholico, is accivit ad se P. Adrianum Radsiminskium, è collegio Lublinensi, eximium divini verbi præconem, & in religionis quæstionibus tractandis exercitarum. Ubi frigere conciones suas Calvintiani & Sociniani fenserunt, illo ad populum frequentissimum verba faciente, certare atque adeò vinci palam mauerunt, quàm dolere clam & ringi. Radsiminskium pugna conditionem latus accepit, & utendum tempore ac populi voluntate ratus, geminum doctrinæ catholicæ caput defendendum proposuit; alterum de Filii Dei æternitate; alterum de

§. II.  
RELIGIO CON-  
TRA HÆRETICOS  
PROPUGNATA.

4.  
In Polonia, &  
Lithuania.

de vera ejusdem in Eucharistico ferculo presentia. Dies disputationi constituta, Idus Januarii anni MDXCII. Convénit ipse cum lecta manu Faustus Socinus, qui sectæ nequissimæ suum reliquit nomen; spurius ex Ariana stirpe surculus. Primus descendit in arenam Socini discipulus: verum ita male multatus est, ut ejus gregales circumfusos puderet hominis ac pœniteret. Socinus ipse nihil est prolocutus, linguæ, ut aiebat, Polonicæ inficitia. Subiit ergo Calvinianus doctor: sed conscientia propriæ tenuitatis, tum etiam exemplo & clade commilitonis territus, ubi unum alterumve contra SS. Sacramenti fidem, è Calvinii penu cavillum tirubanter ac timidè jecit, obmutuit. Venit subsidio alter, vetustæ inter suos auctoritatis & famæ: qui statim convictus, & omnium risu exceptus, abscessit. Qua catholicæ veritatis victoria permotus adolescens nobilis hæresim, materno cum lacte hausam, feliciter expulit.

Perciti pudore acceptæ cladis Sociniani, acente illos etiam, ut apparet, Socino, vulgatis libellis catholicos vicissim ad novam dimicationem provocant, eamque non in oppiduli unius latebris ac solitudine; sed in ipsius Lublini luce, post quartum inde mensem, ineundam. Concursu igitur omnium ordinum maximo configitur in æde nostra Lublinensi. Momento debellatum est. Nihil nisi obsoleta quædam argumenta, & lippis ac tonsoribus nota, protulit adversarius\*: quæ Radzimirskius explodens, victum illum nullo negotio ac fatentem habuit. Libellum probris in Societatem jactari solitis referunt ediderunt hæretici, confessionem imbecillitatis, solatium ignominia.

Staterius, doctor  
Ebionita.

\* Feria 5. post  
Pentecosten.  
1599.

At Vilnæ, in Lithuania, palam se victores prædicarunt. Commissa fuerat pugna\* in aula Palatini Vilnensis. Hinc P. Martinus Smigletius, theologia professor, catholicam propugnabat veritatem; inde illam oppugnabant Ecclesiæ hostes: circum populi procerumque multitudo. Data sunt adversariis primæ oppugnandi & interrogandi partes: sed, cum rogati fuerunt vicissim respondere, ac sua placita defendere, excusarunt negotia domestica, valetudinem, iter necessarium, & alia; quibus apparebat, male acceptos in priori disputatione sibi pejus adhuc metuere. Nihilominus victoriam penes se stetitisse conclamabant, veteri omnium hæreticorum instituto; quod cum affirmaret confidentius nobilis Polonus, regio præpositus cubiculo, testesque faceret omnes Superos, ac suum caput ipse diris devoveret, si catholici vicissent; repente cœpit irrauescere; tum expallescere; mox destitui sensibus: demum intercluso spiritu, inter manus procurrentium, & quod in re trepida succurrebat remedii, nequicquam afferentium, interiiit.

5.  
In Gallia.

Per idem tempus laboranti graviter in Gallia religioni subvenire Societas omni ope studuit. Turbare cœperant in regno Christianissimo jam inde à Francisci h. temporibus hæretici, serpente per Europam Lutherana & Calviniana peste. A regibus Henrico II. Francisco II. Carolo IX. & Henrico III. edictorum severitate, atrocitate etiam suppliciorum repressi, contulerant se in fidem & clientelam Principum aliquot regii sanguinis, qui partim hæreseos infecti lue, partim Guisii Principibus insensu, penes quos rerum administratio tunc esse videbatur, Galliam armis civilibus miscuerunt. Ambitio fortasse Principes, populum quidem certe religionis catholicæ, quolibet pretio conservandæ, studium accendebat. Cælis Henrici III. jussu Guisii, quorum potentia regiæ auctoritati metum incusserat, populus, quasi ereptis sibi religionis defensoribus, in ipsum Regem exarsit; eum aditu Lutetiæ prohibuit; ac fœdus quoddam sacrum, quam vernacula voce *Ligam* dixere, constituit. Perstitit hoc fœdus post Henrici III. luctuosam necem: eoque freti catholici prosperos Henrici IV. conatus & arma refringebant. In hac rerum perturbatione Socios consolari per litteras Aquaviva studuit: illud etiam atque etiam admonens, ac præcipiens, ita religionem tuerentur, ut nullam partem publicæ rei administrandam susciperent, neve se regni negetiis, quæ vulgo negotia *status* vocantur, infererent. Ferebatur enim Odo Pigeatius, Provincialis, in eam partem nonnihil peccare, ac favere vehementiis iis, qui fœdus pro tuenda veteri religione coiverant. Ipse non ita multo post, an propter susceptos in communi periculo & metu labores, an ex animi dolore, cum imminenti carissimæ genti mala cereret? gravem contraxit morbum, quo de sanitate ac mente decur-

deturbatus est. Illud nihilominus in nostrorum ea tempestate litteris reperio, Pigenatum egisse diligenter ut removeret se a consiliis ejus factionis, quæ tunc Parisiis rerum summæ præerat; nec semel, per speciem visitandæ pro suo munere provincie, discessum Lutetiâ tentavisse; sed vel prohibitum à civibus, vel è fuga retractum, causam religionis ab eo prodi quiritantibus. Compositis deinde in Gallia rebus, & catholica religione constituta Henrici Magni prudentia & pietate, non eodem statim cum bellis civilibus tumulto sepulta hæresis est. Itaque cum ejus discipulis aut magistris depugnandum Societati sæpe fuit, ac præsertim PP. Joanni Gonterio, & Petro Cotono. Gonterius postis Bliterensis collegii fundamentis, Castra venerat, oppidum nobile Occitaniæ superioris, quod misti catholicis hæretici obtinebant, bipartitâ inter utrosque curiâ. Invitatus ab Episcopo & catholicis, ut manum cum hæreseos doctore celeberrimo confereret, non abnuvit: quamvis probe intelligeret vix quidpiam privatis ejusmodi altercationibus profici, tum ob adversariorum in disputando petulantiam; tum ob eorum, etiam cum victi liquidò sunt, vanitatem in victoria sibi arroganda. Disputationem igitur leniter ingressus evagantem adversarium, quasi aliud agens eò perduxit, ut ad auctoritatem, & docendi jus, summam controversiæ revocandam esse fateretur. Quorsum enim doces, ait, aut cur te quisquam audiat, si jus auctoritatemque docendi nullam habes? Omnis confessus jure id primum omnium quærendum & statuendum esse affirmavit. Hæreticus magister ad Oecolampadium, Bucerum, Zuïnglium, aliosque novitiæ doctrinæ parentes, originem & auctoritatem docendi suam retulit. Instat Gonterius, rogatque ut demonstret unde Zuïnglius, Bucerus, & alii jus docendi & auctoritatem sibi sumperint. Ipse non interruptam doctorum catholicorum seriem, & perpetuam inde usque a temporibus Apostolicis successionem planè ac perspicuè demonstrabat. Sudans adversarius tres sibi menses dari postulavit, ut Tigurum profectus in Helvetios, inde certissimam auctoritatis ac doctrinæ Calvinisticæ demonstrationem arcefferet. Risit hominem sua ipsa factio; & è proceribus quispiam, ut impeditum doctorem expediret, joco an serio? respondit videri æquum, ut in re difficili, & ad reconditiorem antiquitatis memoriam spectante, spatium darentur libros & prisca monumenta consulendi.

6.  
Docendi auctoritas nulla hæreseos magistris.

P. Petro Cotono nullum fermè tempus a bello cum hæreticis fortiter ac feliciter gerendo vacuum fuit. Cum illis primum signa contulit Lugduni\*, anno MDXCII. tum Avenione, postea Gratianopoli, denique Nemausi anno MDXCIX. quam Occitaniæ civitatem Hæresis, tanquam arcem, occupaverat. Jam quidem eò usque insaniebat adhuc proterva plebs, ut catholico sacerdoti in publicum prodire cum talari & consueta sacerdotibus veste, tutum non esset. Vehementer laboratum est à Calvinianæ scholæ doctoribus, ut excluderetur P. Cotonus oppido; aut, si admitteretur, ne diu in illo consisteret. Primum sui gregis homines submisere, qui altercando & interrogando sic eum haberent districtum, sic obtunderent, nullo spatio ad quiescendum relicto, ut valetudine ac viribus debilitatis exhaustisque, concideret. Sed cum Cotonus, cibi somnique perparcus, improbo esset labori par, imò pterosque mala fide ad se adeuntes, veram ad Fidem religionemque traduceret; mutant pugnæ rationem: conscribunt libellos, edunt volumina, commentarios ingerunt, ut eum respondere conantem, defatigent ac frangant. Scriptis scripta, commentariis commentarios, volumina voluminibus reponebat. Eundem ad publicam provocarunt disputationem, & plebem promiscuam tota ex urbe collegerunt, ut seditionem timens magistratus cœtum disturbaret, jactarentque in vulgus Cotonum aleam certaminis adire non ausum. Quod cum aliquando plebi persuassent, obsedit illa ejus ædes, ac fere lapidibus nec opinantem obruit. Eò evasit perditum cujusdam nebulonis furor, ut ad eum bis terve ingressus sit cum sica, ratus hac victima bene litandum recenti sectæ. Confessus deinde est, agnito scelere, toties ab ea stringenda deterritum se fuisse, quoties oculos in Cotonum vultum conjiceret: tam blandus ex illo innocentie pietatisque splendor emicabat. Humanissimi ac religiosissimi viri comi-

\* Vide Lib. XII. num. 57.

7.  
P. Petri Cotonii, & aliorum quorundam è Societate, dimicationis cum hæreticis.

tas maximam urbis partem ipsi paulatim conciliavit. Exstat luculentum magistratus urbi testimonium, profitentis perfectum id ab eo fuisse, ut conciliatis civium animis, & ad concordiam inflexis, bellorum civilium ac dissidiorum memoria sensim Nemausi exolverit. Nonnulli tamen in errore pertinaciores, quibus pax æque ac veritas invisæ, illum in contemptum & odium populi adducere tentarunt. Ediderat recentem librum de sacrificio Missæ, in quo multos SS. Patrum locos proferebat. Eos falso productos, & mala citatos fide vociferantur. Rectè laudatos defensor Fidei strenuus affirmat, edicitque se palam id facturum, si copia veritatis demonstrandæ fiat. Accipiunt conditionem; evocant Camierum, suarum partium ducem in hac arte veteratoria disputandi exercitissimum. Dantur Judices, leges certaminis præstiniuntur. Constituit nobilitas frequens; ipse Cardinalis Surdusius adfuit, cum Nemausensi antistite. Initium disputandi factum VI. Kal. Octobres anni MDC. Excussus Chrysoctomi de S. Eucharistia locus Homil. XX, ad populum Antiochenum. Diu ministros erroris torfit partium Catholicarum pugil, hæc verba identidem repetens: *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas, non solum fide, sed re.* Pronunciatum denique est secundum Cotonum.

Diem insequentem ejusdem præsens animus, & memoriæ felicitas memorabilem fecit. Ingressus certamen hæreticus, SS. Patrum locos, per tres ipsas horas, alios aliis intextos, recitavit singillatim oratione tam volubili & expedita, ut eam admiratio & plausus omnium exceperit, non sine catholicorum trepidatione, verentium ne tam acri adversario propugnator veritatis par non esset. Oculos in Cotonum confessus omnis subito convertit. Ille ab ultimo eorum, quos recitaverat Camierus, locorum, ad primum usque gradatim procedens, idoneam singulis responsum subiecit, tanta sermonis ubertate, tanta suavitate vocis, ut omnis eum concio, tanquam portentum eruditionis & ingenii suspexerit. Magum & præstigiatorum hæretici conclamarunt: catholici, pars in amplexum effusi, non sine lacrymis; pars oculis, voce, manu, fausta omnia comprecantes, domum velut in triumpho deduxere. Quatuor deinceps dies consecuti nihil habuerunt aliud, ut videre est in proprio, qui tum conscriptus est, commentario, nisi Camieritricas, & grammaticas cavillationes, ac demum atrocias & prope furiosas, ut hominis victi ac desperantis, convicia, etiam iis miseranda & pudenda, quos defendebat. Qui, ut male multatum ex impari pugna subducerent, præsidem Fraxineum Canayum adire supplices, Nemauso tunc forte transeuntem, ac rogarunt ut disputationem abrumperet; metum seditionis, nisi id fieret, ostentantes. Annuit præses. Verum inde sapienter novæ religionis, cui tunc favebat, imbecillitatem colligens, ab ea sexto post mense delinquit. Non tandiu sana consilia plerique hujus concertationis testes distulerunt, ut falsus est ipse Camierus: felix si fuisset illos imitatus! Non eas dedisset impietatis poenas ac perfidiæ, quas aliquot post hanc disputationem annis luit, cum perduelles in obsidione Montis-Albani ad pugnam accendens, murali tormento disceptus est.

Nec nihil tamen ex illa cum Cotonum disputatione profecit. Pudore acceptæ cladis, & novæ metu, factus est, dum vixit, cautior & modestior; ut patuit Valentia, quæ Delphinatum antiqua civitas est. Illic partes hæreticorum sustentabat opibus & auctoritate civis præcipuus, quem a sex annis urgere nostri non cessabant, ut doceri se pateretur. Nihil obtineri potuerat. Ad extremum postularunt ut scholæ suæ ministros, coram testibus legitimis disputantes audire non recusaret. Auditorum se promisit, ac plurimos doctores Calvinianos ad pugnam invitavit. Ceteris agrè cunctanterque annuentibus, Camierus unus inventus est qui auderet in arenam descendere, sed unus videlicet multorum instar. Adfuit dicta die theologus Societatis. Expectabat universa provincia eventum tanti certaminis. Sed nimirum accidit Camiero quod illis Thrasonibus usuventi. Hostem provocant laceßuntque, dum procul, aut nullus est; ubi adventare cernunt, instar timidorum canum, paulisper oblatrant è longinquo, & in sua se cubilia receptant. Agnovit nobilis ille Valentinus ignaviam sectæ deterioris & infirmi-

firmitatem, consultisque melioribus magistris ejuravit hæresim in æde Sancti Apollinaris, quam à suis majoribus hæreticis impie contaminatam restituit catholicis, & publica Romanæ Fidei professione quodammodo visus est expiare. Alii ejus exemplo se se docendos obtulerunt, multum invitatis ac repugnantibus Calvinianæ scholæ magistris, qui credere illos Deo tantum, & securos jubebant esse. In eo vero dispar est, ac longè liberalior, catholica disciplina consuetudo, quæ sic adigit nos ad præstandam mysteriis abditissimis fidem, ut patiatnr nihilominus rationes hujus fidei suscipiendæ penitus investigari, adeo ut Fidei tenebræ plurimum lucis habeant, & ipsa nox\*, quod Regius Propheta canit, *illuminatio* dici possit. Licet enim non perspiciatur clarè quod creditur, clarè tamen cur credendum sit cuilibet prudenti patet.

Viſto Camiero novum Patri Cotono adversarium hæresis substituit anno MDCVIII. Verba coram Rege fecerat in facello regiæ villæ, cui nomen Fons-Bellaqueus. Interfuerant sacræ concioni, una cum catholicis, partium hæreticarum proceres; & in iis Gigordus Montis-peſſulani Minister, magnum inter suos nomen. Sub concionem aulici Gigordum variis læſerunt interrogationibus. Laudaverat Cotonus in concione verba Christi, Petrum apostolum eo beatum prædicantis, quia confessus eſſet quod *caro & sanguis ipsi non revelaverat* \*. Hinc data occasio disputandi de Eucharistia, in qua minimum tribuunt catholici carni & sanguini, hoc est, sensibus; quibus unis Calvinistæ credunt. Cum incaluisset disputatio, P. Cotonus evocatur, qui Gigordum differenter salutans perhumaniter more suo, ut pergeret oravit; affirmans nequaquam se venisse ut interpellaret dicentem, sed potius ut audiret. Ibi nonnemo è proceribus, Disputatur, inquit, de Christi corpore, quod accipi duntaxat Fide Gigordus asserit. Sane, reſulit Cotonus, quin ita sit dubitare non possumus, id si docent sacræ litteræ: ac Gigordum rogavit ut proferret locum, ex quo id planè constaret. Citavit Minister sumptas è sexto Joannis capite voces, *Ego sum panis vita: si quis venit ad me non esuriat, & si quis credit in me non sitiet*. Inde colligebat ab eo manducari corpus Christi, qui in Christum crederet. Igitur, subjecit Cotonus, modo manducas Christi corpus, & accumbis Cenæ: nam modo in Christum credis. Perturbatus inexpectata oratione Gigordus paulisper hæſit: tum addidit, præter Fidem opus eſſe *ſanctificato pane*. Atqui panem hunc ſanctificatum ut figuram eſſe corporis Christi doceas è sacræ litteris, petimus: nos ex iisdem verum eſſe Christi corpus accepimus: locosque Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli, consentientes & apertos, protulit. Mox ad Ministrum converſus: profer, inquit, vel unum æque apertum, in quo eſſe figura corporis Christi doceatur.

Cum nihil afferret, eò devenit quo confugere isti solent, eadem accipiendos ratione, qui loquuntur de corpore Christi locos, quæ interpretamur alios, ubi legimus eum appellari vitem, agnum aut leonem, quæ meræ metaphoræ sunt. Discrimen ostendit Cotonus, ac docuit voculam *hoc* nunquam in metaphora usurpari: & quamvis rectè dicatur, exempli causa, Regem eſſe ſolem; non tamen dici commonſtrato Rege, *Hoc eſt ſol*: aut *ſole*; *Hoc eſt Rex*.

Satisfecit catholicis juxta atque hæreticis ea reſponſio, nec leviter cruciavit adversarium, instante nobili corona, ut opinionem suam aliquo Scripturæ sacræ loco declararet. Cotonus contra, toto plaudente cœtu, planum fecit non potuisse Christum Dominum apertioribus verbis catholicam exprimere veritatem, & aptioribus ad refutandum errorem tum Calvinistarum, qui abesse ab Eucharistia Christi corpus; tum Lutheranorum, qui superesse in ea panem volunt. Gigordus elabi Cotonos geſtiens, sermonem aliò derivabat: sed illum ad controversiæ caput, & postulatam Scripturæ, de corporis Christi figura Eucharistica, locum revocans quidam è nobili confesſu hæreticarum partium ſignifer; Quo mihi, inquit indignans, abis diverſus? Siccine rationem Fidei, quam nos doces, reddis? Lætitiâ catholicorum & victoriâ cumulavit Cotonos modestia, quem nemo vel eſſerre ſe jaçantius, vel insultare viſto ſenſit.

Quia porro hæresis non certâ ullâ doctrinâ ſtat, ſed opinione vulgi ac pertinacia, quam alunt inſauſti doctores, ut ſe ipſi ac familiam sæpe numeroſam,

8.  
Catholica doctrina evidenter credibilis.

\* *Pſalm.* 138.

\* *Matth.* 16.

9.  
Calvinianorum error de Eucharistia conviſus.

alant; qui si haberent alibi unde pascerentur, populo dare verba, & fabulas quarum conscii plerumque sunt, venditare desinere: Cotonus apud Regem inficit, ut ministris nuncium Calvino remittentibus certa stipendia de bonis Ecclesiasticis, decreto cleri Gallicani, penderentur. Quo artificio mirifice debilitata est factio hæretica. Quis enim pari emolumento, aut etiam majori proposito, errorem ac vitium sequi, quam veritatem ac virtutem, malit? Quod si qui tamen è magistris novitiæ religionis, metuentes levitatis famam, aut honoris inter suos gradum retinere cupientes, errorem tuerentur: illos omni opo, nunc docendo, nunc suadendo, conabatur ex istis inconsulti metus & ambitionis pravæ laqueis expedire.

Ut autem non modo præsentibus prodesset, sed remotis quoque ac posteris, quidquid otii gravissimis occupationibus suffurari poterat, in libris conscribendis collocabat. Quindecim, & in iis plerisque majoris molis, adversus hæresim elucubravit, eodemque anno MDCVIII. imponebat manum ultimam Institutioni Catholice, quam Calvinianæ Institutioni, veneno scilicet antidotum, opposuit. Laudavit \* hoc volumen Bellarminus Summo Pontifici, cujus iussu totum opus in sermonem Italicum conversum est.

\* *Elitteris Cardin. Bellarmini datis 4. Maii 1608.*

IO.  
Vesontio ab errore defensa.

Cotoni ardorem in propugnanda religione, alii Patres imitabantur. P. Salianus, Vesuntini rector collegii, certis auctoribus cognoverat clandestinos ab hæreticis, speciosa catholicorum indutis larva, cœtus agitari; vellicari Summi Pontificis auctoritatem in circulis; mysteria sanctissima palam in dubium apud plerosque, & in controversiam vocari. Nihil in tanto periculo dissimulandum existimans, ejusmodi sermones, & cœtus, pro concione, velut ex re nata, graviter insectatus est. Dicentem obturbavit admurmuratio varia & discors, hinc proborum qui se affici dicebant ignominia; inde aliorum tanto vehementius reclamantium, quanto veriora, quæ dicebantur, esse sentiebant. Dimissa concione isti magistratum adeunt. Vociferantur inustam integerrimæ civitati labem turpissimam: lege ut agere liceat, poscunt. Gubernatores urbis concionatorem orant ut ne gravetur indicia tantorum scelerum aperire. Ille vero se daturum dixit, modo civem, unde hæc hauserat, prodere non cogeretur: neque sane proferri delatoris nomen sine certissimo illius exitio poterat. Visa sunt indicia minime contemnenda. Dolere tamen magistratus, quod moniti privatim non fuissent. Respondit Salianus credibile non esse ipsos rem tantam nescivisse, in urbis quasi specula collocatos: sed fortasse non ausos ad remedia severiora descendere; aut etiam putavisse rem hanc sui propriè fori non esse. Utcumque porro se res haberet, Ego, inquit, mearum esse partium duxi, in tanto carissimorum civium periculo non tacere. Civitas antistitem, qui forte tunc aberat, admonendum curavit. Advolat præsul, & porrectum sibi à Salianno libellum magistratui dat in manus, admonens ut exquirat diligenter, quàm verè indicia facta sint. Brevi ad mali fontem perventum est. Conjecti satores hæreseos in vincula. Ex iis quidam præsentis supplicio mulctati: nonnulli dilapsi; ceteris injectus timor: sua demum religioni stetit integritas; ac proborum civium sententia ferme fuit, nisi acrioribus remediis surgenti malo Salianus obstitisset, nunquam magistratus ac principes civitatis, quippe cum auctoribus mali cognatione vel amicitia implicatos, negotium serio suscepturos fuisse.

XI.  
Hæreticorum in Gallia partium insignis columnæ eversum.

Eminebat ea tempestate inter Calviniani agminis antesignanos Jeremias Ferrerius. Hujus unius auctoritate, doctrina & existimatione, factio Hugonottorum (quod nomen Calvinianis tribuitur in Gallia) maximè nitebatur. Eo impensius Patres hominem expugnare contendebant. Quod ut majore molirentur fiducia, suadebat ejus liberale ingenium, eruditione non vulgari conjunctum: ut minime dubitarent quin, si veritatem dispiceret, eam continuo esset secuturus. Itaque amicè & liberaliter agere cum eo instituerunt. Qua ille ratione commotus, animum adjecit ad examinanda utriusque doctrinæ momenta, & inter se sine fraude ac præjudicio comparanda. Sensit ubi patèret veritas, ubi latèret error: Detrahit monstrum personam; fœditatem agnovit, & exhorruit. Nemaufum ipsam, ubi anquam divinus homo tot annos cultus fuerat, elegit, quo in theatro publice dedo-

dedoceret, quod publice tandiu docuerat: magnamque faciebat spem, fore ut Nemausensis populus sanum ac prudens doctoris sui iudicium non respueret, cuius in verba, velut in sacra Pythii oraculi effata, jurare consueverat. Sed ita vulgo sunt hæreticorum ingenia, ut iis errorem ostendas facilius quàm eripias. Pulcrum quippe putant præfractè tueri quod semel arripuerunt, ne non satis acuti & intelligentes in iudicando fuisse videantur. Cujusvis est errare: sed erratum agnoscere, fateri, deponere, solius est sapientis.

Simul atque auditum fuit nutare Ferrierum, & fugam ad catholicos agitare, proceres Hugonotti fremunt exturbandum prius è vivorum numero demens caput, quàm insanæ defectionis maculam inurat Ecclesiæ reformatæ. Ferrierus, cui explorata gentis improbæ crudelitas, clam ad amicum potentem perfûgit. Vix domo pedem extulerat, cum furiosa plebs impetum in eam facit, suppellectilem omnem corrumpit, eicitque per fenestras: uxorem ipsius gravidam & parturientem, è lecto contumeliosè deripit, adesque concremare parat. Alii cum facibus in suburbanam ejus villam provolant, proculcant fruges, arbores excindunt. Alii ejusdem fratrem, medicum insignem, mutata fugientem veste, ac deprehensum, fœda lapidatione propemodum in ipso vestigio confecerunt. Ferrierus interim ad Societatis Patres evadere tentavit, ut eorum in oculis, & ad ipsorum, ut aiebat, pedes pro Fide catholica casus caderet. Consultius visum, ut Nemauso se proriperet per noctem, & ad vicinos Belliquadrenses elaberetur: ubi tutum & honorificum receptum habuit, otiumque contulit ad elucubrandum insignem commentarium, quo facti sui rationem luculentam reddebat; ac fusè acriterque confutabat certa quædam Calviniani dogmatis pronunciata, in quibus asserendis olim se intemperantius ipse jactaverat.

Præclare quoque gesta res in ea Galliæ Australis parte, quæ Italiam propius attingit. Illic Dia, Vocontiorum olim civitas, nunc Delphinatum. Totæ diœcesis, accitu Episcopi lustrata: & illatæ per hæresim clades utcumque reparata. In iis sæpe locis divina res facta, ubi quadraginta totis annis nihil sacrorum erat usurpatum. Errabundæ oves non pauca in Christi gregem sunt reductæ. Aliæ falsos pastores à veris fecernere didicerunt, in disputationibus publicè susceptis cum aliquot mercenariis pastoribus. Unus illorum antequam in aciem descenderet, posuit hoc primum, ac petiit, ut omnia auctoritate Scripturæ deciderentur. Visus est Societatis sacerdos annuere, donec adversarium suo, quod ajunt, gladio jugularet. Quæsitum igitur de Scripturæ sacræ libris, quinam essent habendi pro canonicis & legitimis, quinam secus. Hic vero vehementer conqueri Calvinista, quod eos haberemus canonicos, quibus id nomen minime omnium conveniret. Rogatus ubi Scriptura sacra libris ejusmodi canonicorum nomen & vim abrogaret, obmutuit. Non se feliciter expedivit alter, qui coram primario præside senatus Delphinatum, disputans de Ecclesiâ vera, negavit eam sub sensu cadere. Cum premeretur Pauli dicto, affirmantis Deum sine testimonio mortalibus locutum non esse, neque apud homines testimonium dici posse, quod sub sensu non caderet; multa parum appositè disseruit. Conturbatum & æstuantem subduxit è prælio senatus præses; affirmans ne ipsum quidem, si revivisceret, Calvinum huic argumento solvendo parem fore. Eandem Diensem diœcesim cum lustrarent anno MDCXV. Turnonensis collegii Patres, incidit ex iis unus in moribundum senem, annos centum quindecim natum, quorum partem maximam inter Calvinianos transegerat. Moriebatur in errore pertinax. Ægrè enim dediscunt senes, quod ipsi juvenes didicerunt. Hæresim matrem suam blande compellabat, ejus in gremio vitam latus deponeret. Cui sacerdos: Atqui mater, inquit, illa tibi esse non potest, quæ multo, quam tu, junior est: simulque illi novitatem Calvinianæ sectæ explicat. Quo argumento victus senex respuit, & gratias Deo ac sacerdoti magnas agens, paulo post occubuit. At juvenis, in hæreseos sinu natus, cum iter faceret eodem anno per superiorem Arverniam, perductus est visendi studio Indiciacum, quod oppidum vulgo Fanum S. Flori vocant, ubi nescio quis à malo dæmone possessus, consuetis Ecclesiæ remediis curabatur. Ut ad eam sacram est ingressus, exilire energumenus, salutare comiter adole-

12.

Auctoritas sacra scripturæ. Ecclesiâ Christi visibilis. Novitas hæresicos.

adolefcentem; blandiri tanquam amico & familiari; compellere nominatim, quem nunquam ufquam afpexerat. Erubuit adolefcens, cum fe catholicorum omnium oculis fignari vidit. Mox ifta familiaritate graviter offenfus, Calvinum ac demonem, tam arcta inter fe amicitia devinctos, valere juffit.

Inter fpolia, hærefi tunc in Galliis detracta, recenfere poffumus ereptas hæreticis reliquias & offa P. Martini Gutterrii, ab iis olim in eadem Gallia capti. Profectus anno MDLXXIII. ex Hispania Romam ad Congregationem Generalem, incidemat in illorum manus, & in caftellum Cadillacum, apud Cadurcos, non procul Burdegala, ductus, ærumnisque multis affectus obierat\*. Inceffit cupido Patres, quibus nota viri fanctitas, ab hoftium Fidei manibus ejus offa vindicandi. Ea præcipue cura fubiit P. Jacobum Turrianum, arctiffima olim cum P. Martino amicitia conjunctum; qui Peruanæ provinciæ procurator ibat Romam per Gallias. Unum præfertim obftabat ne compotes voti fierent, quòd certa non exifterent indicia loci, ubi feptus P. Martinus fuerat. Accidit, non fine Numine, ut Burdegala tunc verfaretur P. Petrus Jarricus, qui dum in Hispania conficere curriculum theologicum, viderat in Profeforum Vallifoletana domo exaratum manu descriptionem Cadillaci, ejusque nominatim loci, ubi feptus Gutterrius dicebatur. Hanc descriptionem arceffere Vallifoletano placuit. Allata deferretur ad Baronem Lantiliacum, opibus atque auctoritate pollentem apud Cadurcenses, & Cadillaci cognitum: qui fratrem habebat in Societate. Is a Patribus Burdegalenfibus enixè rogatus, Cadillacum fe confert: inquit ab incolis: ac præfertim à vespillone, qui P. Gutterrii cadaver tumulo infoderat. Locum ille monftrat non procul a via militari, & à fe repositum in eo P. Martini cadaver juratus teftatur, nec aliud poftea in eodem feptum. Infpiciunt Patres allatam ex Hispania loci totius descriptionem, omnia exacte quadrare deprehendunt. Dum hæc à prætoze diligenter expenduntur, dum teftium nomina perfcribuntur a libellione, confluit ruficorum multitudo. Eorum unus, cognita re, denunciavit fe annos natum admodum octodecim interfuiſſe funeri P. Gutterrii, eumque in indicato loco fuiſſe compositum. Hæc teftimonia fatiſ ſuperque eſſe viſa ſunt. Removent ſepulcri lapidem: offa nitentia & adhuc ſucci plena colligunt, mundoque involvunt linteis; humus deinde altius egeri eſt cœpta, ſtatimque argilla apparuit, certiffimo argumento nullum aliud cadaver ibi fuiſſe inſoſum. Reddentibus poſt confectum rite negotium civiſ occurrit, qui à prætoze interrogatus num ſciret quo in tumulo mandatus terræ P. Gutterrius fuiſſet, In eo, inquit, è duobus, qui viam publicam propius tangit. Additum ſuperioribus illud teftimonium eſt: confectasque rite tabulas cum pretioſo pignore Burdegalam Patres retulerunt. Illud P. Jacobus Turrianus Roma rediens in Hispaniam aſportavit, ubi Vallifoletano Profeforum templo illatum, & plumbeo loculo, in ſupremo majoris aræ gradu, ad evangelii latus, conditum ſervatur, cum hac inſcriptione: *P. Martino Gutierrez, Almodovar, hujus domus præpoſito, ſingulari pietate, virtute, ac doctrina viro; in carcere apud hæreticos Cardeliaci in Gallia Narbonenſi, vita functo, anno MDLXXIII. ætatis XLIX. atque huc inde translato anno MDCIII. amoris ergo Patres D. D.*

13.  
Offa P. Martini  
Gutterrii ab hæreticorum potestate, ac manibus vindicata.

\* Part. IV. Hiſt.  
Lib. I. n. 2. 6.

14.  
Lutherani, Pikardi, Anabaptiſta, Utraquiſta, &c. in Germania feliciter agitati.

\* Spond. ad A.C.  
1420. Poſſevin.  
in Exam. Sectæ  
Pikardicæ.

Dum in Gallia Societas religionem contra hærefim strenue tutabatur; non ſegnius eandem propugnabat in Germania viciniſque regionibus (nam de Anglia, Tranſſylvania, & Hungaria, Libris XII. & XIII. diximus.) Pikardos acerrime infeſtabatur P. Venceslaus Sturmius, Bohemus, à S. Ignatio in Societatem admiffus, ac remiffus paulo poſt in patriam. Sectam hanc ſeculo XV. Bohemia præfertim aluit, ubi Pikardus neſcio quis, oriundus è Belgio, piſcorum Adamiſtarum deliria renovavit. Hunc ſecuta rudis plebecula, debebat nudo corpore; quaſi ad veteris Adami ſignificandam innocentiã; dum ſe in luſtrorum ganearumque cœno impuriſſimi nebulones volutabant. Solos ſe liberos eſſe dictabant; mortales reliquos, ſervum vulgus. Cum ſe in inſulam quandam recepiffent, ad infanda ſua myſteria liberius exercenda, proſtigati ſunt a catholicis\*, & ferro flammisque conſumpti. Triftes impuræ ſectæ reliquias armis evangelicis debellavit P. Sturmius; eorum ſcelera, & impietatem, in hominum oculis auribusque defixit;

defixit: argutias eruditæ explosit scriptis, adeo ut ad ipsum ejus nomen expalescerent, tanquam ad mentionem machinæ bellicæ; quam ejusdem nomine significari norant: nam balistam, aut catapultam, ipsa vox Bohemica, *Sturmius*, sonat. Senio, morbis, & Apostolicis laboribus fractus reptabat in templum, ut contentibus aures daret, quo in munere cum bonam sanctioris hebdomadæ partem impendisset, apoplexia correptus anno MDCL. è vita migravit, in collegio Olomucensi, annis fere LXX. confectis.

Ut Pikardos P. *Sturmius*, sic Lutheranos alii Societatis sacerdotes feliciter aggressi, non invitos, ac sua etiam clade lætos debellarunt. Austriam pererrans circa annum MDC. rusticus factiosus ac dives, & succinctus agrestium exercitu, Religioni simul ac Cæsari fervile quoddam bellum inferebat, ita ut campesrium Lutheranorum Pontifex Maximus vulgo diceretur. Captus aliquando, & merito supplicio damnatus, spem unius è nostris conatumque non semel sefellerat, in errore ac flagitiis obfirmatus. Demum ab eodem velut omnibus telis petitus, vincenti per suum famulum Deo manus dedit, & arma impia pertinaciamque abjecit. Caput illi amputatum est, ut illustribus reis. Dedit hoc Cæsar nobilitati catholicæ religionis, ab eo ante supplicium susceptæ, qua vitæ ac mortis ignominiam deleverat. Excepta fuit hæc victoria non minori bonorum omnium admiratione, quam plausu; aded ut jactaretur Papam hæreticorum a Jesuitis factum esse catholicum. Quemadmodum nulli difficilius errorem dediscunt, quam ejus magistri; sic parva de insigni Lutherana scholæ doctore victoria reliquis merito præstat. Hic pestilentem cathedram ab annis decem insidebat, cum in Sellienfis collegii sacerdotem incidit. Postquam, eo curante, hæreseos venenum eiecit, animum appulit ad alios quoque sanandos, quibus pestem ore impuro inhalaverat. Quo res plus haberet splendoris & pompæ, placuit eam premere silentio parumper; tum uti artificio quodam ad animos novitate feriendos. Igitur ipsis diebus resurgenti Christo dedicatis, cum omnia lætitiâ spirant, ac spectaculis interdum piis publica & Christiana gaudia celebrantur; fuerunt à Patribus in collegium invitati non catholici modo, sed etiam hæreticorum proceres, ad spectaculum tragicum æque ac jucundum, quo nullum unquam festivius aspexissent. Concurrunt avidi: locus quantumvis amplus & bene capax, angustus turbæ fuit. Jam dies processerat, actoresque flagitabat spectator impatiens, cum subito prodit in scenam actor primarius, magister ille impietatis ante paucos dies; nunc veritatis citra fabulam ac fucum laudator & præco. Mirantibus cunctis quid vellet, concionem attonitam salutatur, veniam præteritorum petit, se catholicum palam profitetur. Ad hanc vocem coortus discors ab omni cavea parte clamor, partim plaudentium, partim ira & pudore frementium. Pergit ille, & exorato silentio, subiecit se factum uno verbo narrasse, jam facti sui rationem ipsis, si placidas aures præberent, editurum. Arrectis omnibus ad audiendum, mutata mentis ac fidei causas exposuit per sesquihoram, tanto vocis & animi ardore, ut, cum sincerè loqui omnino crederetur, catholicos admiratione & gaudio; hæreticos pudore ac tristitia impleverit. Denique solennem Fidei professionem è formula per Tridentinum Concilium præscripta, tanquam postremum actum, subtexit. Totius tragœdiæ clausulam & epilogum adjecit sacerdos noster, ac spectatores oratione apposita conatus est impellere ad imitationem facti, cujus admiratione caperentur. Ne tamen hæretici quererentur se ad spectaculum vocatos, cujus ipsi fabula fuissent, productus in scenam est paulo post ab alumnis collegii Josephus, è carcere in Ægypti solium evectus. Utroque spectaculo permoti complures serio de Fide catholica profitenda cogitarunt. Longe alios dedit ludos Tornaci Anabaptistarum primipilus. Id nominis inditum est nonnullis hæreticis, quia baptismo iterum lustrabant eos, qui recens ab ortu, vel ante rationis usuram baptizati fuissent. Persuasum quippe habebant, neminem rite baptizari, nisi qui Fidem per se ipse profiteri posset. Errorem hunc alii renovatum scribunt à Luthero, alii à Zuinglio, vel Carolostadio. Latius propagatum constat a Thoma Muntzero, qui agrestes in Germania collectos contra suos Principes armavit: confirmatum vero in urbe Monasteriensi,

\* Anno 256.

riensi, anno MDXXXIV. ubi domicilium vesani dogmatis collocatum, electusque rex ab istis fanaticis farcinator Batavus. Inde transgressa est in Hollandiam secta, post in Angliam, ubi à Simone quodam Mennonis filio, vocatur Mennonita. Natales istius hæreseos referuntur ad prima Ecclesie tempora, quibus iteratum fuisse baptismum à Marcione, a Novarianis & Donatistis, Ecclesiastica monumenta testantur; imò à quibusdam Catholicis præsulibus, falsò existimantibus irritum esse baptismum collatum ab hæreticis. Quos Stephanus Papa I. \* ac variae synodi damnarunt. Ab his ortus majoribus Tornacensis ille Belga, de quo coepi dicere, cum se premi veritatis telis à Societatis theologo cerneret, subito confurgens, Mittamus, inquit, verba: juremus in hoc; utrius nostrum falsa religio est, hunc hostis hominum Tartareus occupet. Cohorruit ad inexpectatam conditionem Pater, negavitque his argumentis opus esse, ad veritatem cognoscendam. Instare petulans adversarius, exprobrare trepidationem: ceteri, qui aderant, eam imbecillitatis confessionem interpretari. Quod ubi vidit factus: dos pius juxta & prudens, testatus se non tentandi Numinis, sed tuenda religionis causa descendere ad iniquissimam passionem, Ego vero, ait, conditionem accipio: uter nostrum pejus de Deo ac religione sentit, in eum inferno prædoni us ac potestas esto. Mirum! vix hæc ediderat, contremuit toto corpore, in omnium conspectu impius Anabaptista; concussus reliquo die jactatusque, ad extremum oppigneratam Orco infelicem animam reddidit.

15.  
Hæreticorum  
familiaritas pe-  
riculosa.

Ladislavus Berka, supremus Moravia Camerarius, post ejectos aliquot oppidis hæreticos, in ea sacerdotum Societatis acciverat. Idem tamen aliqua incatus utilitate, consuetudinem ac familiarem usum retinebat cum Anabaptistis quibusdam non sine piorum offensione: sed illum ex hoc laqueo divina bonitas expedit. Unicum ipsius filium repentinus & gravis invasit morbus. Patres, arrepto tempore, cum salus adolescentis exigua penderet spe, admonent parentem, videret ne periculum filii contractum ab Anabaptistarum familiaritate foret. Agnovit delictum: impiam consuetudinem rescidit: salvumque protinus filium recepit; felicior profecto & consultius Valente imperatore: qui, cum Arianos ad agrotantem pariter filiolum admisisset, ejus morte, uti Basilius Magnus prædixerat, impietatem luit. Adeo verum est privaram quoque virorum Principum felicitatem esse a studio religionis curaque suspensam.

Hoc habebat persuasum Ferdinandus Archidux, dum invictam animi constantiam hæreticis opposuit, acriter pugnantis ut erroris ministri, quos per autumnum anni MDXCVII. exegerat, restituerentur; & libera cuique, quam vellet religionem profiteri, potestas esset. Ille vero non modo exitialibus postulatis non annuit, verum etiam non dubitavit provinciam obire cum aliquot è Societate sacerdotibus, ad religionem præsentia sua, auctoritate, armis quoque, ubi erat opus, stabiliendam, & in pristina jura reponendam. Extorti plebecula libri pestilentem, quorum amplius sex millia exusta sunt: receptum de Lutheranis templum Græcii primarium, quod ante annos triginta, exterminatis pastoribus, invaserant. Desæviit eorum furor in homines Societatis, à quibus hæc manare consilia suspicabantur: eos neci dedere, Gracense collegium ferro flammisque abolere conjurant. Moniti Patres per amicos, perniciem certissimam astu effugerunt. Ea enim nocte, qua nostris ædibus injiciendæ faces erant, crebra lumina tota domo disposuerunt. Præbuere ignes speciem militum ad custodiam excubantium, & impetus nefarios conjuratorum semel iterumque retardarunt, ac demum penitus extinxerunt.

Utraquiste in Bohemia maxime versantur, qui nempe veterem sub utraque specie Christi sumendi ritum, sapienter laicis ab Ecclesia interdictum, mordicus tuerentur: unde illis factum *Utraquistarum* nomen. Eorum antistes sive Administratores (hoc enim nomen illi tribuitur) magnam apud suos auctoritatem obtinent. Id muneris gerebat anno MDCXII. sacerdos, catholica Fidei olim defensor: quem, utpote non indoctum, tædere coepit sectæ pertinacis: jamque in ea tuenda languidior, aperte inclinabat in partes notæ veritatis, & ab errore multos è suis revocabat. Ea res homini magnam conflavit invidiam, eoque proceres Utra-

quiste-

quistarum adduxit, ut ei magistratum abrogarent. Quæ calamitas misero mentis oculos aperuit. Ad Socios Pragenses profectus, eorum opera in gratiam cum Ecclesia rediit, summa catholicorum lætitia & gratulatione. Alter ex eodem Utraquistarum grege anno sequenti accusatus gravi, nec falso, crimine, capitalem pœnam commeruisse judicatus a suis erat, quos inter insignem doctoris obtinebat gradum. Ac primo quidem illum dignitate spoliaverunt, solenni cærimonia, & redactum velut in ordinem custodia incluserunt. Ibi jacebat infelix ab omnibus in tanto periculo derelictus. Hominem è Societate advocat. Marentem ille consolatur, & contra dæmonis, jam veluti certâ gaudentis prædâ, nocturnos impetus armat cœlestis Agni cerea effugit. Sacrum amuletum sic enervavit infernam belluam, ut se illi præsentem sistere amplius non auderet, sed procul ex abdito loco tumultus aliquid excitaret. Hoc aditu in animum ejus patefacto, noster opportune instat, ut Fidem catholicam amplectatur, cujus modo argumentum ingens cognosceret. Paruit. Ad paribulum deductus, audientem universam civitatem eloquentissima oratione concussit; & iis, quibus causam exitii dederat, egregiam occasionem obtulit salutis in religione vera consequenda. Ad extremum recitata formula Fidei Tridentinæ, fortem se ac pium in perferenda morte præbuit.

Impigrum veritatis catholice defensorum amisit anno MDCXIII. Polonia. P. Gasparem Nahavivum. Excoluerat omnem fere Poloniam per annos triginta. Nervos & acumen disputantis reformidabant adversarii, sed amabant humanitatem ac disputandi modum, quia id unum curabat in disputando ut victi agnoscerent veritatem, non ut vicisse videretur. Exemplum è multis unum proferam. Dux Ostrogienfis, idemque Palatinus Kioviensis, accessiverat è Lipsiensi academia spectatum diu in Calvinii ludo lanistam, eumque componere cum P. Nahavivo gestiebat. Utrumque invitat ad prandium. Nahavivus doctorem comiter salutatum, post mutua urbanitatis officia paulatim, injecta quæstione, ad conferendas manus pertrahit. Velitatus ille aliquandiu, postquam iniquo se congressum loco & Marte sensit, receptum sapienter circumspicebat: quem illi Pater omnem ita obstruxit, ut herbam porrigere, quod aiunt, cogeret. Multum erat confessionem imbecillitatis ab eo expressisse, qui suas de catholicis palmas recensere antea ferociter solebat. Sed vulnus tam lenis, tam amica, fecerat manus, ut ad eam faucibus clam accesserit, iterum vulnerandus, vel potius omnino sanandus. Triduo exacto, palmarum ille tot ac tantarum gladiator abjecit hastas, utroque deditionem fecit. Has inter victorias triginta & unum stipendia P. Nahavivus fecit in Societate, ad quam illum cœlestis imperator singulari accitu vocaverat. Trans Russiam inter Scythas seu Tartaros natus, cum bello flagraret tota regio, venerat adhuc puer in Russorum manus, qui Scythicum exercitum internectione deleverant. Confecto feliciter prælio, milites rapta de hoste spolia profitebantur apud prætorem. Captivus inter illa productus est puer. Cujus indole liberali, atque ingenio delectatus prætor, eum sibi a milite, a quo erat captus, depoposcit; ac fortunis parentibusque orbatum, apud se loco filii habuit, & erudiendum litteris curavit: in quibus magnos brevi fecit progressus. Itaque cum vir primarius liberis suis Romam studiorum causa deducendis moderatorem quæreret, datus est illis Nahavivus; & in Urbe postea Societatis Jesu militiam cepit: cujus bene ac fortiter gesta præmium, confectis annis tribus & sexaginta, consecutus est in collegio Sandomirienfi.

Non tam disputando, quam cohortando & suadendo victus est alius Calviniana scholæ doctor. Venerat Coloniam eodem anno MDCXIII. ex Anglia, ubi Regi à concionibus erat, ut catholicos theologos de religione consuleret, quorum in scriptis veritatem certis consignatam notis deprehenderat. Quis enim illam in tanta librorum optimorum luce, nisi sponte cæcus, non videat? Nondum tamen discussæ penitus erant, quas hæresis offuderat animo, tenebræ. Commeatum a Rege impetrat, & per causam curandi Spadanis aquis morbi, Coloniam accessit, ubi nostrorum ope caliginem omnem absterfit, ac dubitationem: nec destitit amicos & affines in Anglia relictos hortari, ut depositis, quibus laborabant, opinionibus male præsumptis, causam utramque cognoscerent, ac *justum judicium judicarent.*

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Fif

Quam

16.  
Modus disputandi cum hæreticis.

17.  
Præfidia que-  
dam adversus  
hæresim provi-  
sa. Gomaristæ,  
& Arminiani.

Quam veritatem ratio & doctrina non difficile peritis ostendunt, eandem in-  
doctis metus ignominia, aut poena, persuadet. Hæretici communem cum catho-  
licis sepulturam obtinuerant Paderbornæ, nimia magistratum indulgentia. Evi-  
cit anno MDCXIII. Societas ut hoc honore privarentur, exportatis extra pome-  
rium in agros, eorum cadaveribus. Quam infamiam plerique pertimescentes  
odisse cœperunt hæresim, & ab ejus odio facile sunt adducti ad amorem veri-  
tatis. A Sociis Constantiensibus curatum ut Lutherani ludimagistri, qui pueros  
vernacula litterarum docebant elementa, scholarum suarum alumnos ipsimet ad  
nostras deducerent catecheses. Id antea tentatum sæpius, perfectum denique est,  
magno discipulorum & magistrorum fructu. Decretum pariter fuit ne hæretico-  
rum pupillis, quorum ingens ea in urbe numerus erat, jus civitatis, quod he-  
reditarium veluti habebant, ante tribueretur, quàm religionis catholicæ præci-  
pua capita legitime profiterentur. Simillimis legibus munita religio fuit ac de-  
fensa Ratiboriæ, quod est oppidum Silesiæ superioris. In hanc urbem induce-  
batur clam à perfido curione Lutherana pestis: qui postquam errori patronos  
opibus & numero non contemnendos adesse perspexit, ausus est Lutheri præco-  
nem in oppidum evocare ipso die Pentecostes. Implevit ira catholicos, & civi-  
tas, oclusis portis, triduo toto in armis fuit. Infregit metus audaciam impro-  
borum; sed illorum consilia penitus disjecit senatus decretum, Sociis auctoribus  
factum, uti cives tributim in curiam evocati, ad avitam Fidem tuendam sacra-  
mento adigerentur. Præterea veteres urbis leges instauratæ sunt; quarum unum  
caput erat, ut nemo hæresi aut schismate implicatus, civium in numero cense-  
retur. Quibus subsidiis firmata est religio, & adversarum partium vires animi-  
que debilitati. Cum Arminianis & Gomaristis identidem in Hollandia, nec  
nullo successu pugnatum est. Arminianorum conditor & parens fuit Jacobus Ar-  
minius, Batavus, Calviniani evangelii minister Amstelodamensis, nec ita multo  
post theologiæ professor Lugduni Batavorum, ubi novam inter suos Calvinianos,  
& ab eorum doctrina vulgo abhorrentem procerdere doctrinam aggressus est.  
Hæc præcipuis quinque capitibus continetur. Primum est, Deum in reproban-  
dis hominibus rationem habere illorum infidelitatis, & impenitentia; in eli-  
gendis vero, illorum fidei & perseverantia. Alterum; Mortem esse obitam a  
Christo pro omnibus, nemine excepto. Tertium; Necessariam esse gratiam ad  
opus bonum. Quartum; Ejus tamen vim ejusmodi non esse, cui resisti non pos-  
sit. Quintum; Gratia semel donatos, eadem spoliari posse ac perire. Hanc do-  
ctrinam Calvinistæ coacto Dordraci suorum cœtu anno MDCXVIII. condemna-  
runt; ejus defensores exilio, vinculis, morte multarunt; & Arminianos pro hæ-  
reticis habent; nihilominus tolerant, & quiescere modo patiuntur. Quos si jure  
damnari potuissent a suis theologis in unum collectis putant, recusare non possunt  
quin se ipsi quoque jure damnatos à Patribus Tridenti congregatis fateantur\*.

\*Vide Ludovici  
Mamburgii  
scripturunculam,  
inscriptam La-  
methode Paci-  
fiquæ &c.

Post extinctum anno MDCIX. Arminium, ejus discipuli & clientes placita  
magistri summo studio propugnarunt. Itaque supplicem libellum, ejus generis  
quod Galli vulgo appellant *Remontrance*, Fœderatis Ordinibus obtulere anno  
MDCIX. Exponebant quibus, & quam justis de causis a communi sententia dis-  
cessissent; unde factum illis quoque nomen fuit, ut *Remonstrantes* dicerentur.  
Inter illos qui Arminium & ejus doctrinam validius oppugnarunt, agmen duxit  
Gomarus, theologiæ professor Lugduni Batavorum. Ejus discipuli Gomaristæ  
causam contra Arminianos in synodo Dordracena vicerunt, & a Batavis ortho-  
doxi censentur. Hæc opinionum dissidia cum ferrent Amstelodami, & Hydra  
quasi Lernæ recens monstrum in plura quotidie capita succresceret, data est  
nostris opportunitas multos revocandi ad catholicam concordiam, præsertim Ar-  
minianos. Facile vincuntur hostes, cum inter se dissident.

§. III.  
RELIGIO VARIIS  
IN LOCIS PER SO-  
CIEIATEM REPA-  
RATA.

SOCIETATI satis non fuit oppugnatam religionem privatim ac publicè pro-  
pugnare: eandem in varias Europæ urbes, unde fuerat pulsa, reducere labora-  
vit. Vefalia civitas est in Cliviæ Ducatu, qua Lupia in Rhenum influit, empor-  
rium frequens & locuples. Eam Lutherani & Calviniani ab anno MDXXXIX.  
ut aptam sedem proleminando errori occuparant, ibique rerum potiri videban-  
tur.

tar. Præerat Catholici Regis copiis in Belgio Franciscus Mendoza, non bellica virtute, quam studio religionis clarior. Eam restituere pristinum in statum Vefaliæ decrevit, ac civitatem a lue Calviniana penitus repurgare. Igitur legatos ad Cliviæ Ducem mittit, admonetque fidei Carolo V. datæ & pactiõnis, qua sponderat se conservaturum suis in urbibus catholica instituta, daturumque insuper operam ut, si quid mutatum uspiam ac depravatum foret, restitueretur. Is moram in se nullam esse respondit: sed multæ ab oppidanis difficultates obiectæ sunt, quas Mendoza prudentia, & scilicet armorum terror (habebat enim tunc in hibernis septem & viginti millia lectissimorum militum) superavit; idque potissimum, quod hæretici flagitabant, vetuit, ne Societas oppido ejiceretur. Arcessit Colonia Agrippina per P. Perrum Busselium Nuncius Apostolicus pacatam revocatæ religionis possessionem adiit: habuitque hunc P. Busselio honorem Summus Pontifex, ut ei per litteras gratularetur. Nec dubium erat quin ejus votis omnia cumulatè fuissent responsura, nisi exercitus Catholicus a Rheno in interiores Germaniæ partes abductus animos reddidisset hæreticis; qui ferè, nisi timeant, terrent. Ergo soluti metu personam ad tempus sumptam exuerunt, sacra & sacerdotes omni ludibrio affecerunt; adeo ut in tutum se recipere \* cum Patribus Societatis coactus fuerit Nuncius Apostolicus, & succisam temporum procella spem ingemiscere. Pristinam urbi tranquillitatem reddidit Marchionis Spinolæ virtus, & ad reparandas religionis clades Vefaliæ vicinisque in oppidis Sociorum tunc labor feliciter desudavit: ac paulo post Ritbergæ, unde catholicos ritus Lutheranus error ante annos sexaginta expulerat, Est ea Westphaliæ civitas, Comitatus cognominis caput, ad Amasis ripam.

Sæpius, ac diutius laboratum ab iisdem est, ut catholica Fides revocaretur in varias Alpinarum vallium partes. Uni ex illis nomen tribuit Segusium, oppidum haud ignobile, ad fluvium Duriam. Hanc vallem anno MDXCIV. Infravere; ac depulsis incitiæ superstitionumque tenebris, sua religioni lux redita. Rursum anno MDCII. amplius septingenta capita variis in pagis Ecclesiæ redonata sunt. In istas valles olim è Gallia profugerant alumni doctrinæ Calvinisticæ, & in iis domicilium quoddam impietatis collocaverant, locorum ingenio defensi. Cum serperent autem in dies latius, neque armis depelli facile possent, certi fuerant ipsis jam inde ab anno MDLXII. constituti fines, ultra quos non procurerent. Iis cum se non continerent, & in oppida vicina contages funesta grassaretur, edixit Sabaudia Dux ut omnes, qui citra fluvium Pelleum incolebant, vel ejurarent hæresim, vel ultra fluvium eundem recederent. Is ortus in Alpibus summis, vallem Lufernensem præterfuit, ac Pado deinde jungitur. Per eam occasione Taurinensis Archiepiscopus, in cujus diœcesi est tota vallis, eam adire decrevit, comite Taurinensis collegii rectore. Privatis colloquiis & publicis concionibus nutantes plerique confirmati sunt, plurimi ad meliora consilia perducti. Alii, cum ratione victi pertinaciam tamen retinerent, eò perfugiebant ut dicerent doctorem suum, si adesset, istis argumentis, quæ solvere ipsi non possent, facile responsurum. Tum vero collegii rector, Adstet ille, inquit, dabitur fides publica: quo ipsi libuerit die ac loco disputabitur. Admonitus doctor hæreticus cum se non moveret, sive insidiarum, ut aiebat, metu; sive potius imbecillitatis conscientia, Pater ad eum se contulit. Dicitur concertationi dies IV. Id. Martias MDCII. ad fauces Angruniæ vallis, inter praruptas rupes, ubi ante quadringentos ferme annos Waldenses Lugduno ejecti constiterant. Prodit erroris magister, armata cohorte cinctus, gentisque primoribus: sequebatur innumera bilis multitudo, quam disputationis fama exciverat. Campus ad certamen ductus, ubi pratam arbores opacabant: argumentum dicendi propositum de sacrificio Missæ: designati scribæ, unus catholicus; alter hæreticus, qui dicta exciperent. Præcibus seorsum factis, collata sunt signa.

Novem horis pugnatum est, coactusque mendacii patronus confiteri Missam non ab hominibus institutam, sed à Deo; & sub speciebus panis ac vini corpus & sanguinem Christi, non fide tantum, sed ipsa re contineri. Nihil veteratori notæ profuerunt artes: nihil minæ quibus doctorem catholicum a se, ut pilam,

\* 22. Maii 1599.

18.

In Valles Alpinas, & Cemenios montes revocata.

jaſtandum vanus ac ſuperbus augur prædixerat: nihil libri, quibus onuſtum præſe mulum egerat. Viſtus ſua & omnium conſeſſione diſceſſit. Interpretari ac mutare quæ conſeſſus erat, conatus eſt: ſed exſtabant ſcribarum codices, qui ne adulterarentur, maturè proviſum erat. Hoc uno congreſſu auctoritas indocti & improbi doctoris concidit, multique ante finem pugnæ ab eo palam deſciverunt, ſtatim atque expreſſam ab illo catholicam de Euchariſtia conſeſſionem audivere. At ſacerdos Societatis, proſequentibus catholicis, in circumjectas latè valles cum eodem Archiepiſcopo deſcendit. Occupatæ olim fuerant a Waldenſibus; poſtea Luthero, denique Calvino militarunt. Septem in iis oppida numerabantur incolis frequentia, unde trigefimum jam annum religio vera exulabat. Triftia, procedentibus occurrebant ſpectacula, & monumenta impietatis; æquata ſolo templa, polluta cœmeteria, dejectæ aut ſemiuſtulatæ Cruces. In ſingulis fermè oppidis ritu catholico ſacrificatum eſt, excitatis ſacellis; invitati omnes ad veritatem cognoscendam; & multi cognitam ſunt amplexi.

\* Anno 1602.

Æquè utilis, nec minus periculofa expeditio conſecta eſt \* in eo dioceſis Ne-mauſenſis tractu, quem Cemmenium vulgo appellant. Id nominis ſortitur a Cemmenis montibus, qui a fontibus Ligeris per triginta circiter leucas porriguntur inter Rhutenos, Gabalos, Helyios, & Velaunos. Huc ſe conſecerat ac regnabat hæreſis, deſenſa vallo montium, & nativis loci aggeribus. Sane ab annis octoginta nullus ibi Epicoſopus viſus erat: nullus religioſus vir, niſi apoſtata. Nam eò, projectis divinæ militiæ ſagis, nefarii deſertores conſugiebant, cum virginibus, quas in hæc luſtra ſuis è clauſtris abreptas deportabant. Patres Societatis nunquam illic aſpectos, neque cognitos niſi ex odio quod in illos hæretici paſſim omnes habent, amici deterrebant ne in manifeſtum necis diſcrimen ſe conſicerent, nulla ſpe propoſita bonæ ullius frugis colligendæ. Itum nihilominus eſt, Chriſto duce atque auſpice. Præter necem & plagas, tolerata ſunt omnia, quæ portendebantur. Magnum tamen, ac prope incredibile viſum eſt conſpici Patres illic impune potuiſſe; nec modo conſpici, ſed libenter audiri: neque audiri duntaxat, ſed miniſtrare ſacramenta, in pravas conſuetudines inveni, extirpare vitia immania; quæ tam altas ibi radices egerant, ut caſorum ſanguine domus ac viæ redundarent; ut palam volitarent armati, eſſetque pars artis, induſtriæ, gloriæ, trucidare inimicum, amico inſidiari, inopem percutere, ſpoliare divitem, & ſtrages hominum edere tanto plures atque atrociores, quanto cuique virium plus & furoris erat. Repertus fuit unus quiſpiam ſacerdos catholicus, quem inſcitia & ſimplicitas miſerabilis tutum præſtabat *in medio nationis prava*; quippe adeò imperitus, ut ſignum Crucis formare vel neſciſſet unquam, vel deditiſſet. Id qui ſcirent, tres quatuorve ad ſummum ſunt inventi. Ad noſtros plerumque noctu, sæpe de die, maximi ſiebant concurſus omnis ætatis & conditionis. Uno quodam in pago ſimul profeſſi catholicam Fidem ſunt homines bis mille: alibi puerorum catervæ ultrò ab hæreticis parentibus deductæ, ut ſanioribus præceptis imbuerentur. Inſtaurata plerique in locis templa; xenodochia olim diruta, ruruſum ædificata; repoſitæ Cruces, quarum loco conſtituta fuerant in religionis contumeliam patibula; divina res publicè peracta. Inter varios errores, qui terram ſterilem, ut infelices tribuli, occupabant, unus præcipuè vigebat, per ſatores zizaniorum latè ac dedita opera ſparſus: nimirum in qualibet religione virtuti locum & ſaluti eſſe, Hoc opinionis peſtiferæ monſtrum ita debellatum eſt, ut ejus patronos, ignorantia atque impietatis puderet. His è ſententiæ conſectis Socii Arelatum, Maſſiliam, Foſſas Marianas, & aliquot alia oppida, eodem Duce Chriſto, feliciffimè perluftrarunt.

19.

In quaſdam Germaniæ civitates, & Eſſen-diènſe cœnobii reducta.

Viſſoviczium Moraviæ oppidum, una cum adnexis pagis, obtigerat domino, qui olim Viennæ in ſcholis noſtris inſtitutus nihil antiquius habebat, quam ut oppidani ſibi ſubjecti, ſexageſimum jam annum aberrantes à via veritatis, ad eam reducerentur. Duos è Sociis, quorum opera uteretur, impetravit. Magna rerum & mentium facta inclinatio. Erat ſacellum vetus, triſtes reliquiæ magnificentiſſimi templi, quod in illo Bohemiæ incendio Ziska deſtruxerat; & in ſtabulum deinde, ac ſi quid ſtabulo ſædius eſt, dynaſtarum hæreticorum impietas mutaverat.

verat. Perpurgatus est locus; ornatum sacellum; & in eo sacerdos Societatis, primus tanto intervallo, caelesti hostia litavit. Auspiciatissimis primordiis obstabat enixè Lutheranus doctor, cæci populi ductor cæcus. Is demum ejectus est, non tamen sine tumultu & metu seditionis, plebecula suis privilegiis vim afferri conclamante. Appellatus Cæsar litem ex parte secuit secundum catholicos: partem examinandam in aliud tempus distulit. Sedet ad Danubium, inter Ulmam & Neoburgum, Donaverda, magni civitas momenti, & quoddam quasi Bavarix claustrum. Desciverat ad Lutherum in communi Germanix tumultu, & catholicis jura, templa, libertatem, ademerat. Eorum querelis permotus anno MDCVII, Maximilianus Bavarix Dux, hortante Imperatore, in perduelles arma expedit. Adest cum lecta militum manu, & imparatos cives metu præsentis exitii terriat. Ministri hæreseos, audere soliti cum viribus & numero pollent, at in re dubia & periculosa timidi, per aversam urbis portam diffugiunt. Oppidani à suis deserti, respondent se futuros in Cæsaris ac Ducis potestate. Pars copiarum intronissa forum & curiam insidet. Ducuntur in vincula primarii perduellionis auctores; arma civi trepido eripiuntur; civitati præsidium imponitur. Confecta sic præter omnium spem pace, Societatis concionator, qui partem in opere tanto non exiguam habebat, restitutam religionem populo gratulatus est. Solennis supplicatio per urbem circumducta. Templorum suppellex reddita catholicis: aedes sacræ, profanis diu conspurcata carimoniis, in pristinos usus nitoremque vindicata; data denique missio Lutheranis ludi magistris: ac finitimis, quos pestifera doctrina infecerat pagis, opportunè consultum.

Essendiensis monasterii antistita in Principibus Imperii numeratur; ampla ditione, & clientelarum copia præpotens. Cœnobium illustre deformaverat hæresis Lutherana: quam ejicere meditans virgo cœnobii præses, nobilitate ac pietate insignis, nostros præclari consilii adjutores adscivit. Ne res ad exitum adduceretur obstiterit ejus immatura mors; nihilque propius factum est, quam ut Socii Essendia pellerentur. Hæretica plebs homines Societatis quamprimum extrudendos conclamabat. Interim ab universo virginum cœtu suffragia feruntur ad legendam monasterii præsidem. Conspirarunt omnium sententiæ in eam designandam, quæ Religioni plurimum favebat, & Societati. Ejus auctoritas odia tumultuantium compressit, & viam stravit Patribus ad catholicos ritus in oppidum, & religiosam simul disciplinam in cœnobium restituendam. Provisum ut pagis in monasterii ditione positis veri pastores præficerentur, pulsis mercenariis. In aliis quoque cœnobiis, quorum possessio ad catholicos rediit, extinctam propemodum Religionem Socii exsuscitarunt.

Non parum habuisse momenti creditur ad virgines Deo sacras istorum cœnobiorum, aliosque passim novæ doctrinæ discipulos & patronos à Luthero abduccendos, vulgata per idem tempus fama de puellis duabus Lutheranis, claro loconatis, quas malus dæmon infederat; & quarum diversa fors ad demonstrandam catholicæ Fidei vim, veritatemque, summopere valuit. Erant ambæ sorores. Dira Tartarei prædonis crudelitas omnem earum familiam sollicitam diu habuerat. Postquam res celari non potuit, eo sunt adacti parentes & affines Lutherani, ut remedia humanis majora peterent. Ea tuto quæri apud religionis reformatæ ministros putaverunt. Igitur puellæ paucis primo, tum pluribus sectæ doctoribus offeruntur. Ex iis decem & octo luserunt operam. Dæmon illis plurimum negotii joculariter exhibuit; nunc responsis alienis aut ambiguis interrogantes falsè circumagens; nunc stertens placide, illis vociferantibus, non sine spectantium risu; nonnunquam simulans fugam ac metum. Tunc, adversariis de hoste quasi victo triumphantibus, redibat infestior, & cachinnis temere ovantes obruebat. Neque scurrilibus tantum jocis retundebat instantes, sed verorum & magnorum criminum probris palam in erubescences conjeçtis. Unus, ceteris paulatim dilapsis, confidentior, dum catholicos imitari sacerdotes gestit, in os hiantis puellæ digitos immittere ausus, illos pænè concisos subito, nec facillè, retraxit. Risit Stygius satelles, & quasi emendaturus injuriam, promisit se nunc denique abiturum, & fores ac fenestras aperiri jussit. Reclusæ sunt. Tunc ille subli-

20.  
Demon exorcif-  
mis fugatus re-  
ligioni reparan-  
dæ subservit.

sublimè raptam virginum unam formidoloso volatu per totam aulam circumvexit, mox humi cachinnantem illasque deposuit. Cum pudorem ipsis Lutheranis incuteret ministrorum suorum clades & imbecillitas: quasiverunt collatis capitibus & consiliis, quodnam huic malo remedium ostenderetur. Ea demum sententia placuit, acumine digna Lutherano, ut populo renunciarent Deo non placere dæmonem sic vexari: vetitum id in sacris paginis. Ergo, inquiebat infelix puellarum parens, in hac miserima servitute liberis meis consensendum, nequellum in terris & in Ecclesia Christi remedium huic malo paratum est? Nullum, respondebant: divinæ providentiæ res permittenda. Non desuerunt qui censerent, si recurrendum aliò quopiam foret, videri convenientius ad magos & veneficos, quàm ad catholicos sacerdotes, aut ad Societatis homines, confugere. Nihilominus ad nos, de ipsorum denique hæreticorum sententia, credo quia virginum affines ita cogebant, ventum est. Rogati Patres collegii Hildesienfis, ægre & cunctanter operam sunt polliciti, ne catholicum nomen ludibrio impiorum exponeretur, si cum dæmone pugnaretur eventu parum prospero: cujus propulsandi sic potestatem suis Christus Dominus dedit, ut eam tamen certis occultisque de causis valere non semper velit. Sed puellarum parentes vim gliscantis in dies Tartaræ tyrannidis conspicati, ambas domum nostram perducere statuerunt. Negavit enimvero dæmon se venturum. Stabant virgines, ceteroquin imbelles, instar gemini scopuli immotæ, fixæque in eodem loco. Injectæ collo stolæ sacerdotales utramque nullo negotio pertraxerunt. Junci molles erant. Hoc argumento vel ab invitis Lutheranis jam exprimebatur confessio jurisdictionis Ecclesiasticæ apud solos catholicos vigentis; idque faustum omen futuri certaminis & victoriæ putatum est. Postquam in conspectu Patrum ambæ constiterunt, paulum quievit. Tum sacerdos gravi oratione illas affatus, ostendit quantum præsidii ad intestinum, quo vexabantur, hostem depellendum esset in catholico dogmate, quantum in Lutherano infirmitatis; proinde, hoc deserto, illud sequerentur, si salvæ ac liberæ esse cuperent. His verbis minor natu puella catholicam se esse omnino velle dixit: statimque admotis S. Ignatii reliquiis, compressus tyranni Avernalis impetus, ac sensim exolecens quintodecimo post die, secundum rem divinam & sacros exorcismos, omnino compressus est, ingenti partium bonarum existimatione. Quove minus ambigere possent adversarii, unde potestas in dæmones tanta oriretur, puellæ soror in hæresi pertinax, in Erebi funesta possessione mansit. Multis per eam occasionem, perque concertationes tum publicè tum privatim institutas, creptus error, præsertim Heiligenstadii, Paderbornæ, Erfurti, & Hildesii. Eaque permotus fama Summus Pontifex Clemens VIII. duos è sociis in Saxoniam ire iussit, tum ut offusas ab hæresi tenebras dispellerent; tum vero ut sacrarum virginum duo cœnobia, quæ tanquam lilia mediis in spinis, integritatem Fidei morumque retinuerant, divinis reficerent mysteriis, & ad constantiam hortarentur.

§. IV.  
RELIGIO CONFIRMATA, & ILLUSTRATA IN MISSIONIBUS.

QUAMVIS hæc prodigia maximi sint ponderis ad illustrandam religionem, rariora tamen sunt, & à pervicacibus vocantur in dubium, aut ignotis ac naturalibus causis assignantur. Est, ubi cœlestis gratiæ divina vis, etiam sine miraculis, eluceat: in Missionibus dico, quas ad commovendos animos, & publicam pietatem excitandam, mirum quantum valere quotidiana docet experientia. Insigniores quædam recensere satis erit. Anno MDXCII. duo Societatis sacerdotes in Hollandiam interiorem progressi jecerunt fundamenta Bataviæ Missionis. Gemebat Religio apud Belgas Fœderatos oppressa tristi jugo. Pulsi sacerdotes; incensa everstæque templa; proculcati majorum, quos tam piè tandiu coluerant, ritus: armata ferro facibusque volitabat hæresis, ac secum diras, quæ illam ubique comitantur, pestes invexerat. Indoluit patriæ carissimæ exitio Joannes Smerius, sacerdos Batavus, & Romam remedia petiturus ivit. Clementem VIII. in ea cura, & dolore defixum reperit. Rogatus a Pontifice, quos ad opem ferendam idoneos maximè judicaret, Societatem Jesu Belgicam respondit, quippe quæ linguæ & morum gnara, aditum ad Hollandos, ac si opus foret, latebras facilius invenire posset. Monet Claudium Aquavivam Clemens. Duos, tanquam ad

ad sternendum aliis iter, mitti placuit, Guillelmum Leonium Dordracenum; & Cornelium Duyftium Delfensem. Profecti, mutata veste, diversum instituerunt iter. Leonius incidit in latronum globum, qui vestibus spoliatum per dumos & salebras raptarunt, ac semianimum reliquerunt. Centone contectus Dordracum adrexit in paternas aedes. Rejicitur ut turpe mendicabulum, vixque indicio certiore facto, agnoscitur a matre, in amplexum cum lacrymis effusa. Statim coacta è propinquis & amicis concione, dicere de rebus divinis coepit. Paucis post diebus petiit Ultrajectum, stationem sibi assignatam: unde in circumfusam latè regionem excurrit. Duyftius, post exhausta varia pericula, Delfos attigit, ac varias urbes Hollandiæ, à bellico tumultu paulum respirantes, liberius peragravit. Inde lustravit Zelandiam. Septenæ Zelandorum insulæ sunt, quas tunc Anglicana ferè præsidia tenebant. Hinc miserrimus religionis status, cum & incolis pestilentem doctrinam afflarent Angli; & ne quis catholicus evangelii minister medelam afferret, impensè caverent. Portus enim omnes acerrimis cingebantur excubiis; de suspectis durissima quaestio habebatur; & agniti sacerdotes capite luebant pœnas, aut æternis vinculis ac tenebris damnabantur. Erant in oculis Duyftio tot pericula: major periculis animus & caritas aliena salutis ficiens, fuit. Vestis & sermonis vernaculi beneficio elusit vigilum diligentiam. Repertæ in Zelandicis insulis admodum exiles catholicorum reliquiæ; passim corrupti cum religione mores. Eò difficilior opera, sed eo quoque majus operæ pretium existit.

Altero post anno P. Joannes Bargius Amstelodamensis, Duyftio & Leonio additus, Frisones præsertim excoluit. Brevi tamen vitæ metam & laboris attingit. Ejus locum implere PP. Adrianus Arboreus Batavus, & Nicolaus Romanus Brugenfis. Hi multis deinde consecutis felicem campum aperuerunt, unde est collecta messis ingens; sive catholicis confirmatis in Fide, sive desertoribus ad pristina Ecclesiæ signa revocatis. Prodiere continuo a Fœderatis Ordinibus edicta minacia; Societatis homines nominatim excedere finibus jussi: proposita supplicia, si quis illos exciperet tecto, latebris abderet; consilio, re, officio juvaret; vestigati, abrepti in carceres, malis attriti. Sed hæc beneficia & invitamenta sunt: nec in pœnæ ducuntur loco, sed mercedis & gloriæ. Guillelmus Leonius Doccumi, in Frisia, Calvinum & Mennonem secundis præliis profligabat, frementibus utriusque affectis; & palam vociferantibus ab homine uno cladem sibi & exitium creari. Magistratus clamore excitatus invisum caput, immisit in omnes urbis angulos exploratoribus, perquiri. Comprehenditur: & in publicam facinorosorum custodiam includitur. Inde Leowardiam ad supremum Frisæ senatum abducitur. Judices aureis per catholicos vinculis irretiti, ferrea Leonii vincula ruperunt. Emissus, iterumque sexto post anno captus, arte simili evasit. At Cornelius Duyftius, alter Hollandicæ missionis auspex, captus ipse quoque Delfis est, cum aures consentienti præberet. Sed prætorem adortus extemporalis & victrici, quam suis promisit Christus, facundia, furentem exarmavit. Demum illi pariter ac Leonio annus millesimus sexcentissimus duodecimus, laborum finem attulit, post parem viginti annorum cursum in illo difficili stadio, quod primi omnium fuerant ingressi, feliciter confectum.

P. Cornelius Hollandiam omnem & Zelandiam cura studioque complexus, earum celebriores urbes Hagam-Comitis, Harlemum, Lugdunum Batavorum, Amstelodamum, Roterodamum, Ultrajectum; pagos præterea oppidis interfusos, assidue lustraverat: id studens unice ut quam maximo eorum, quos adibat, emolumento cuncta gereret, quam minima sui fama & commendatione. Sed quanto ipse accuratior existit in iis occultandis, quæ ad multorum utilitatem egregie profecit, tanto clarioribus argumentis, quæ miraculorum obtinere nomen possunt, ejus virtutem Deus illustravit; non modo dum esset in vivis, sed etiam cum corporis vinculo solutus, ad accipiendam, ut merito confidimus, æternitatis lauream *bonus Christi miles* evolavit. Locuples testis erit matrona, cui luridum tubæ manum & inutilem & gravi dolore affectam deformaverat. Ea dum funus comitatur, ejus apud Deum suffragia postulavit; agramque manum ori jacentis appli-

21.  
Occasio, initiū,  
& progressus  
Batavica Mis-  
sionis.

applicuit. Continuo dolor omnis solutus, discussumque penitus tuber evanuit. Virgo jam grandis natu, ab equo excussa, caput magna vi ad terram afflictum graviter læserat. Hinc acerbus perpetuusque cruciatus, cui nulla humana remedia medicinam fecerant. Magna spe domum subit, ubi Duystii corpus compositum erat in feretro, Deumque supplex venerata, mortui dexteram capiti suo imponit. Salutaris contactus sensum doloris omnem in perpetuum depulit. Altera puella excubans ad ejus tumulum, difficili ac diuturno morbo, quo sensim exdebatur, levata est.

P. Guillelmus Leonius Ultrajecti fere commorabatur, cujus urbis mores ad omnem integritatem & religionis veræ cultum planè formaverat. Clara circumfusus luce, cum noctu oraret aliquando, est deprehensus. Sæpe quod animo taciti volutaverant absentes, & quorum conscius nemo esset, ipse presentibus singillatim edissererebat. Multos narrant etiamnum ire pietatis ergo ad ejus sepulcrum, ac domum redire votorum suorum compotes. Extinctis Duystio & Leonio ceteri Patres duriora experti sunt omnia. Urebat hæresis patronos ille Fidei velut revivifcentis splendor, quam tristi obruere ac sempiterno tumultu conabantur. E Sociis unus certo plerumque loco & noto catholicis confidebat, ut facilius ab illis conveniri posset. Alii huc sparsi plurimum operæ ponebant in discutienda rerum ad salutem necessariarum incertitia & oblivione. Vix erant nota plerisque sacramentorum nomina: preces, quas pueris nefas ignorare, senibus aut audita nunquam, aut oblita. Quæ Fidei norma, quæ summa spei Christianæ, quod salutis iter, paucissimis compertum. Ex quo intelligere licet quantum perniciem animabus afferat hæresis, quæ tetram adeò noctem clarissima regioni paucis annis offuderit. Nihil visum est luctuosius puerorum strage, sine baptismo pereuntium: quem ipsis invidabat vel Anabaptistarum vesania, vel negligentia parentum; vel mystarum hæreseos crudelitas, qui, etiam à parentibus obsecrati ut parvulos salvari expiarent aqua, perire illos duplici ac miserabili nece potius patiebantur, quam se domo commoverent.

22.

Missi sacerdotes in Bosniam, Sclavoniam, vicinasque regiones.

Quam lucem voluntaria cæcitas gentis olim apprime catholica respuebat, hanc anni sequentes remotis regionibus, & ad messem Evangelicam magis plerumque maturis intulerunt. Romam anno MDCXII. venerat Simon Joannes Taxicchus, sacerdos Bosniensis, multos annos in catholicis popularibus suis adjuvandis, non vulgari sanctitatis opinione versatus. Sed cum par labori tanto non esset unus, & miserimæ gentis vulnera propius intueretur, quæ ab hæreticis, Turcis, schismaticis, velut obfessa, laborabat vitii erroribusque gravissimis, ad pastorem Ecclesiæ, petiturus opem, accesserat. Perductus ad Summum Pontificem, illi catholicorum Illyrici, Bosniæ, Serviæ, Sclavoniæ ac Bulgariæ vota & pericula; cladem pereuntium, nullo succurrente ac miserante, animarum; hæreticorum dolos, furores Mahometanorum, exposuit. Pontifex, his auditis non sine maximo doloris sensu, Taxicchum ad Præpositum Societatis remisit. Aquaviva nihil cunctandum ratus, dedit operam ut idem Simon necessariis omnibus prædiis instructus rediret in patriam, cum quatuor è Societate sacerdotibus: nimirum P. Stephano Szinio Transilvano, & locorum sermonisque gnaro, qui tunc Romæ degebat; P. Bartholomæo Cassio, Dalmata, qui Ragusii morabatur: alii duo illis, ex Austria Stiriaque, sunt adjuncti.

Nemo facile consequi verbis potest quot pericula exhausserint; quot in locis jacentem aut inclinam religionem ac pietatem erexerint; quot errorum tenebras dispulerint. Præter cetera utiliter in rem animarum confecta, catholice scholæ passim fuerunt instituta; ac pleræque in iis ipsis, ubi Turcæ rerum potiebantur, oppidis. In primis curæ fuit ut initiarentur sacris Ordinibus sacerdotes. Nulli enim, aut pauci admodum fuerant ab annis amplius triginta consecrati. Turcæ oblitum paulisper instituti feritatis favere Christianis visis; quorum in gratiam impetratum est ab imperatore Turcico amplissimum diploma. Mulum negotii fuit cum Lutheranis, Calvinistis, Arianis & schismaticis: nec nihil cum quibusdam catholicis, qui privatis utilitatibus ducti, dum sua, non quæ IESU Christi, per eandem

\* Ad Philipp. 2. *quærent* \*

easdem causas stetit ne Missio Ragusina, qua per totum latè Illyricum explicanda erat, jamque in ipsa civitate Ragusio pulcherrimos anno MDCXI. edere fructus cœperat, votis proborum responderet: adeo ut revocandos Patres Aquaviva censuerit. Neque tamen abjecit spem restituendæ aliquando Missionis. Itaque curavit ut linguam Illyricam nostri condiscerent, miseratus infelicissimæ gentis calamitatem, quæ oppressa Turcicæ servitutis jugo jacebat omni fere animarum auxilio destituta.

Interim duplex è collegio Camenecensi turma sacrarum operarum profecta est, una in Valachiam, in Ukrainiam altera. Miserabilis erat Valachorum inscitia, maximè sacerdotum. Philosophiam ac theologiam de nomine vix norant. Satis superque censebantur eruditi, si libros legere sacros, & sacerdotales preces inoffensa voce recitare possent. Princeps, quem Vaivodam appellant, Patres excepit perhumaniter, seque cum populo docendum ultro dedit. Ukraina versus Pontum Euxinum porrigitur, magnam partem inculta, Cosacorum & Tartarorum metu: animis etiam, quàm arvis, incultior. Sterile ceteroquin solum majores expectatione fructus extulit, eoque jucundiores. Alia de parte procursum est in Esthoniâ, Livoniæ partem amplam. Gentis cæcitas vix credibilis. Baptismi sacramentum eò pertinere duntaxat existimabant, ut puero nomen imponeretur. Ridicula etiam superstitione colebant arbores, quæ cum excinderentur, sua capita potius amputanda non dubitanter obtulerunt. Inferebant iidem sepulcris alimenta, quibus anima scilicet vesceretur, & instrumentum aliquod ejus artis, quam quisque vivus exercuerat; ut haberet, etiam post obitum, quod ageret, & unde visitaret. Tam triftis inscitie nox depelli hætenus non potuerat, ob linguæ Esthonicæ difficultatem: quam hortante graviter Aquavivâ, superare quidam è Sociis aggressi erant, eo libentius quod recepta de Moscovitis Livonia magnam facultatem Polonis dabat in eam commecandi. Præterea jusserat Rex ut judicia, causæ forenses, tabulæ rerum contrahendarum, Latino sermone conficerentur, ut inducto Latinæ linguæ commercio faciliùs erudiri barbaries illa, & Romani ritus propagari possent.

Hommona oppidum est superioris Hungariæ, ad montem Carpatem, cujus continua longo tractu juga Hungariam à Polonia dirimunt. Id oppidum erat in ditione Comitis Georgii Dugheti, qui vocatis Sociis anno MDCXII. Iolium doctrinæ deterioris evellere conatus est. Septingenti ab hæreticorum partibus ad catholicos transferunt: permulti a Ruthenico schismate abducti: juvenus Calvinianis magistris subducta, & ad veram pietatem litterasque informata. Allatum publicæ calamitati divina benignitate remedium auctoritatem catholicæ veritatis magnopere confirmavit. Verna tempestas, quæ tepentibus Favoniis humidior esse solet, sicca & æstuosa præter morem fuerat. Languebant arentes agri, & deusta seges spem nullam messis, aut valde jejunam ostendebat. Catholici vetere instituto solennem circum arva supplicationem deduxerunt. Pium agmen lente procedebat pulverulentâ viâ: cum, velut ex composito, adductæ nubes largum demiserunt imbrem, & supplicantes gradum celerare coegerunt. Ipsimet hæretici è circumjectis pagis turmatim accessere, consecratam Ecclesiæ ritu aquam postulantes, qua domi uterentur velut præsentis morborum omnium medicamento. Benefici roris aspersione nocturnos dæmonum incurfus, febrim, ulcera, variasque pestes depellebant. Puellam quidem certe morbi gravitate insanientem, facer liquor agrotanti adhibitus pristinæ mentis corporisque sanitati restituit. Ea res tantam habuit admirationem, ut ejus pagi vir primarius hæresim continuo fuerit execratus, nec paucos ad imitandum pellexerit.

Antiquata iisdem in locis fuit immanis consuetudo. Capite damnatos antequam carnifex ultimo afficeret supplicio, plebs improba solebat multis & atrocibus modis excruciare, præsertim si venirent in suspicionem illati furto, vel quapiam alia ratione, damni. Tunc enim conducto lictori accensas faces ad ustulanda miserorum latera, & variam horridæ laniens supellestem palam subministrabat. Docuit sacerdos pro concione, quàm esset hoc alienum a Christianis institutis; ipse supplicio afficiendos deduxit, consolatus, & cohortatus est. Placuit mirifice

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

G g g

catho-

23.

Hommonensis,  
Ahsolinduana,  
& aliæ quædam  
Germanicæ, &  
Hungaricæ Mis-  
siones.

catholicis ea caritas, & maternam Ecclesie Christi erga suos filios benignitatem hæretici quoque laudaverunt. Provisum alibi, ut morte plectendis denunciaretur sententia capitalis pridie, aut etiam biduo ante, quam fatalis & ultima dies illuxisset. Experientia quippe compertum fuerat, plerisque mentem eripi metu supplicii præsentis, nullam ut salutarem suscipere cogitationem possent: at, spatio interjecto, conquiescere ac sedari paulisper diros emotæ mentis æstus, & locum necessariis tunc prædiis relinquere. Alsolindum acciti Græcio aliqui è nostris catholicorum mores, quotidiana cum hæreticis consuetudine vehementer inquinatos, emendarunt. Pagi quadraginta præter oppidum Alsolindum, docendo cohortandoque peragrati, Ad faciendam illorum verbis & evangelicæ doctrinæ fidem plurimum valuit mulier à dæmonis possessione in libertatem vindicata. Edebat horrendos ululatus: rugientem leonum gregem audire crederes. Protracta est in templum à valentissimis hominibus bene multis una. Vultus antea teter, luridus, trux, fuliginosus, signo Crucis impresso fronti, pristinum colorem recuperavit: pectus, instar utris distenti vento, tumens subsedit. Ubi vero cognitum est ipso spiritu nequissimorum testimonio quantum haberet vim aqua piacularis, ejus vel unica guttula urebantur, & furebant; item Christi crux, & Ecclesie preces: tum vero mirari, qui hæc vel oderant vel deridebant: nec pauci germanas Ecclesie Christi notas agnovere. Hunc in numerum illa ipsa mulier Tartareo soluta jugo venit, ac tutiorem in locum, ubi Fidem acceptam facilius tueretur, concessit.

Hujus rei fama in ipsas Turcarum urbes pervasit. Ea permotus militaris tribunus (Agas Turcæ vocant) qui tum Canisensi oppido præsidebat, Societatis sacerdotes per litteras accivit. Morbis gravibus & variis premebatur: sed eorum causas nulla medicorum industria deprehendebat. Patribus in conspectum adductis, jactare se horribilem in modum cœpit. Omen infaustum clamitabant Ariani, quibus hæc abundat regio; quique omnem moverant lapidem, ut ne aditus ad tribunal Sociis patèret. Patres, omnibus diu ac sedulo animadvertis, statuerunt causam incogniti Turcicis medicis morbi esse obsidentis mali dæmonis vexationem. Causâ detectâ, remedium in promptu fuit. Exorcismis rite adhibitis hominem omni cruciату liberarunt. Egit gratias ingentes tribunus Turcicus. De Christiana Fide sermonem inferri passus non est. Sic identidem genti perfidæ veritatis lumen ostendit *Qui vult omnes salvos fieri* \*: ut nihil moræ sit quin salvi fiant, si deponere pertinaciam ac cæcitatem velint.

\* 1. Tim. 2.

Lustrata sunt anno MDCXIII. varia Carinthiæ Stiriaque oppida. Plurimum negotii & laboris fuit Turniæ, seu Villaci, quod oppidum superioris Carinthiæ, hæretici nominis asyllum, & arx seditiosorum erat. Catholicus dynastes, pœnis & malo domandos contumaces putavit, quos ratio nulla pietasque frangebatur. Est quippe misericordiæ pars & benevolentia, sævire, ut serves. Jam bis acie victis tertia clades imminebat, cum Societatis homines eò se contulerunt. Exigua spes frugis melioris ostendebatur; phrenetici medicos fugiebant, Prætereâ incertis auctoribus rumor increbuerat, nostram agendi rationem esse omnem tetricam, asperam, inclementem; quæ hominum mentes acerbissimis enecaret scrupulis, & crudelissimam animorum carnificinam exerceret. Illic asperitas nimia nobis objiciebatur; alibi nimia lenitas Societatis reprehenditur. Perinde est maledicentiæ, qua parte ancipitis gladii vulneret. Mitigatis paulatim animis discussisque rumoribus, incredibilis facta est rerum conversio. Conciones auditoribus, catecheses pueris, tribunalia sacra pœnitentiæ delicta confidentibus abundarunt. Illudebat civibus aliquot in hac urbe speciosus error. Novitatis doctrinam amabant, non quia veriores; sed quia subtiliores, & ingeniosiores arbitrabantur. Detracta est stultæ opinioni larva: demonstratum minimam esse in tutandis novitatis partibus, ingenii & eruditionis laudem; quo fuculo sublato, multi ad solidam & fraudis expertem verustatis doctrinam rediere. Labantes & inclinatæ partes vehementer afflixit erroris doctor, qui hunc triginta ipsos annos professus, eundem palam ejuravit. Quæ fama ut percubuit, tota ex Carinthia plurimi confluerunt, rei cognoscendæ studio, quibus audientibus & mirantibus

rantibus, sanctioris hebdomada feriâ quintâ rursus in templo perpetuum anathema hæresi pronunciavit.

Venerat Quinquecclefas anno MDCXII. Sociorum manipulus. Nondum matura messis erat. Rediere post biennium, nec pœnitenda seges collecta. Est hæc civitas Pannoniæ, sive Hungariæ inferioris, non procul a confluentibus Dravi & Danubii. Jam inde ab anno MDXLIII. oppressa Turcarum tyrannide, duo quodammodo amiserat lumina, religionem & litteras. Primas ibi obtinebat superstitio Mahometana, secundas Ariana, tertias Lutherana, quartas Calviniana. Inter istos etiam catholicis locus erat, qui religionis nomen umbramque deformem tenebant. Sacerdos unus è populi face Christianam rem administrabat. Decem alii ex eadem plebe, rusticani homines & indocti, nullis initiati Ordinibus, nomen & munia sacerdotum ac pœne antistitum invaserant; cogeant cœtus; habebant conciones; divinum sacrificium, impietate hæcenus inaudita, palam & in oculis omnium simulabant. Ferebat illos populus, quia vel tales habere sacerdotes malebat, quàm nullos. Nihil prius faciendum Patribus visum est, quàm ut sacrilegum hunc dissiparent gregem. Ac primo quidem singulos appellant privatim, & quantum sceleris suscipiant, admonent. Pars illorum dimidia, execrandi facinoris immanitatem exprobrari sibi non sustinens, aliò profûgit: sed ne alibi quoque nocerent, prolata in lucem eorum veneficia & sacrilegia fuerunt, & plebs impiorum confortio abstinere iussa. Alii quinque detestati publice nefandas artes, meliora sponponderunt.

His peractis, restabat Hydra triceps, ex Ario, Lutero, Calvinoque confata. Præcipuum hujus mônstri caput, Ariani; nam Lutheranis & Calvinianis non licebat impii dogmatis præcones habere palam. Arianis duntaxat, ceterisque nominis Græci schismaticis, ea per Turcicos magistratus fiebat potestas, per quos data Patribus est amplissima facultas docendi ac disputandi. Arianorum dux, capularis & recoctus fenex. Quem cum nullis rationibus, nullo vergentis in tumultum senii metu concutere nostri possent, insectari pro concione decernunt. Hic in Patres vicissim publicè atrociterque invehi. Sed apud illos auditorum ingens frequentia; apud hunc vasta solitudo. Fustuarii pœnam, ac numerorum gravem suis indixit multam, si quis Patrum concionibus interesset, si quis sermonem cum iis de religione conferret. Parum hac via profecit. Ergo vocatis Arianorum proceribus, de catholicorum sacerdotum nece aut exilio conjurat. Inventa sunt crimina, composita & sparsa in vulgus per calumniam fabula. Hæc prima conjecta rela. Sed ea facilè retudit spectata Patrum integritas & virtus. Declamatum deinde in religionem & sacros ritus. Sed eorum demonstrata veritas ineptos declamatores obmutescere coegit. Nec levem illis pudorem ipse demon incutiebat, qui si quorum corpora invasisset, non sinebat se precibus sacris ac minis dimoveri de possessione, dum essent in hæreticorum partibus ac sententia: eosdem, simul atque deposuerant hæresim, continuo, tanquam rem jam non sui juris, liberos abire patiebatur.

Uno in capite parumper laboratum est. Kalendarium vetus, repudiato Gregoriano, præfractè retinent Ariani, similiter ac cetera hæreticorum natio; ut in hoc etiam dissentiant à Romano Pontifice. De hoc argumento sacerdos Societatis aliquando verba fecit; consensionem orbis Christiani; magnas, quæ oriebantur ex hac temporum emendatione, utilitates ostendit. Ea concione non apud hæreticos tantum, sed apud ipsos quoque Turcas graviter offendit, qui negotiorum quodlibet, privatam, publicamve, administrant è veteris Kalendarii ratione. Continuo Ariani clamitant convelli a nobis antiquissimam rei forensis ac nundinariæ normam, turbari temporum ordinem, rempublicam susque deque verti. Æstimanti rem è gentis ingenio facile apparebit magnitudo periculi. Rapiunt in jus concionator, omnium jam opinione damnatus. Judex tamen, Deo insitam Turcicæ menti savitiam demulcente, pro cruce & palo exilium illi duntaxat irrogavit. Aderat Gabriel Betlem, Transilvaniæ tetrarcha. Is a nullo invitatus, causâ tantum ductus aequitate, pro reo studiose dixit; & quâ rationibus, quâ precibus, judicem etiam ab exilii sententia deduxit. Adjecere catholici num-

mos, quibus omnino placatus est. Disturbata momento sua consilia hæretici molestissimè tulerunt. Novam quandam fabricantur accusationem, eamque probare veram student non alio argumento, quàm grandi summa pecuniæ; satis gnari quantum in ea pondus esset ad inclinandam in suas partes iudicis trutinam. Qui flagrans avaritia sententiam continuò secundum illos dixit. Nec diu tamen constitit sibi. Vicit nummarium iudicem pecuniæ copiosior à Christianis oblata. Legem à se fixam refixit, latus quòd ab utrisque acciperet, ac damnosa omnibus lites, sibi essent uni quæstiosa. At Patres longè sanctiorem fecerunt quæstum, plerisque in veritatis libertatem vindicatis; templo etiam, quod Calviniani occupaverant, catholicis restituto Colociaz. Oppidum est in Hungaria inferiori, ad Danubium, olim Archiepiscopi sedes. Oppidani, vulgato nuncio de sacerdotis catholici adventu, cuius opera fierent sacrorum participes, ereptum sibi templum repetere, ac vetusta possessionis jus persequi statuunt apud Mahometanum prætorem. Calvinistas, novæ sectæ inventores, per vim templum occupasse demonstrant. Prætor, accessit Calvinianis, Cur, inquit, hominibus istis negotium facestis, quorum ritum ac templa in urbe imperii principe tolerari non ignoratis? Vestrae, an illorum Fides antiquior est? Vestri, an illorum, majores ædem hanc fabricarunt? A catholicis fabricata olim & possessa hæc ædes fuit: catholicorum nunc eadem esto: si uno laterculo meliorem hanc fecistis, quod vestrum fuerit, inde eximite. Catholici, gratis impense actis, adjudicatum sibi templum inierunt. Divinam rem sacerdos Societatis fecit, & ad concionem Christianis Turcisque mistam, approbantibus utrisque, dixit.

24.  
Missio Persica, &  
Moscovitica.

Memoratis hætenus expeditionibus Evangelicis alias quasdam remotiores, ex Europa magnam partem profectas, & vario susceptas exitu, adjiciam. Venero anno MDCL, ex Asia legati Persarum, ut a Christianis Principibus corrogarent auxilia contra infestas Turcarum opes; ac fœdus præferim cum Rudolpho Casare facerent, qui tunc de Hungariæ regno magna mole cum Ottomanis decertabat. Peragrata Germania & Italia, cum in Hispaniam appulissent, visum est per eam occasionem impetrari a rege Persarum posse facultatem præcoibus sacris prædicandi Evangelii, & populo ejusdem amplectendi. Decreta ob eam rem legatio, & auctore Cardinali Guevara, sacrae inquisitionis præside, Societati commissa. Delecti Patres Franciscus Gironus & Consalvus Delrius. Parum illi quidem, flagrantè bello, nec Persis de religione vehementer sollicitis, profecerunt. Statio tamen Societati mansit in Perside, ut suo loco narrabitur. Neque plus admodum promoverunt qui anno MDCL in Moscoviam missi fuere. Sigismundus Rex Poloniæ, religionis curam non minorem, quàm publicæ rei gerens, cum legationem ad Moscovitas mitteret, addidit legatis duos è Societate sacerdotes, iudicem præsertim Leone Sapihea, supremo Lithuaniz Cancellario, & legationis aliquando revocandæ Boris Gudenous, Moscoviz Dux. Successerat ille Theodoro, cuius erat consanguineus, & in gerendis negotiis administer: homo regnandi gnarus & avidus. Itaque post Theodori (Fedorum alii vocant) mortem, quam veneno maturasse fertur, delatum populi procerumque consensu principatum adeptus, animum à negotio religionis non alienum præ se ferebat. Sed confirmata sensim auctoritate factus audacior, exiit larvam; & priscos errores ac superstitiones retinuit. Patres templis & omni cum civibus colloquio prohibuit; demum in ultimos Russiæ fines compulit. Exortus est interim circa annum MDCIV, adolescens, qui se Demetrium, Theodori fratrem & legitimum successorem esse affirmavit. Partes Demetrii velut redivivi populus proceresque certatim amplexi sunt. Boris mutatæ fortunæ tædio ac desperatione extinctus, meritas impietatis ac perfidiæ pœnas dedit. Majoris fuit molis Missio Constantinopolitana, & feliciorum exitum sortita, etiamnum perseverat.

25.  
Missionis Constantinopolitane origo, fructus, & cladus.

Est Constantinopoli suburbium ingens, instar oppidi, modico discretum freto ab ipsa civitate. Illius duæ partes præcipuæ, Pera & Galata. Ibi ferè Christiani degunt, & à variis Ordinum religiosorum familiis excoluntur. Erat in eodem loco ædes Divo Benedicto sacra, cum cœnobio veteri & vacuo: ædem excin-

excindere parabant Turcæ; aut in profanum delubrum convertere. Hanc peccanti Gallia regi Solimanus in perpetuum addixit; in eamque summa Pontificis Maximi voluntate inducti sunt a Jacobo Germinio, Christianissimi Regis oratore, Patres Societatis; qui anno MDLXXXIII. postulati a catholicis Peræ degentibus, venerant Constantinopolim, ut narratur Libro III. hujus V. Partis Historiæ\*. Præses illorum P. Julius Mancinellus, spectatæ vir sanctimoniam, præsentem Dei tutelam expertus in itinere, nonnulla commemorat ad religionis decus spectantia, quæ minimè videntur prætereunda. In primis refert se accessitum cum focis fuisse a nobili Christiano, cujus uxor agrè parruriens, & biduo toto diris cruciata doloribus animam agebat. Censuerant medici, quoniam desperata salus parentis erat, ut secto ejus latere fetus avelleretur; materna morte victurus. Acciti Patres, recitatis aliquot precibus, aquam solitis Ecclesiæ catholicæ carimoniis consecrarunt. Ea statim hausta puerum incolumem innoxia mater fudit. Vulgata prodigii fama Græcum impulit ut remedium aliquod quæreret uxori suæ, quam malus dæmon quolibet interlunio ita vexabat, ut instar furia totam per domum baccharetur ac sæviret. Patres integro secutus die, assequitur ad vesperam. Narrat infortunium uxoris: ad sacerdotes suos se confugisse; nihil apud eos inventum remedii. Erudiunt hominem; utque schisma deponat hortati, sacrum ei laricem porrigunt, quo mulieri sanitas illico restituta. Aliam non unus dæmon, neque uno tempore, sed singulis fere diebus infesti complures invadebant. Paucis aquæ sacræ guttulis fugati sunt, antea tamen graviter questi quod sacerdotes Latinos vocavisset. Aliam peste contactam sacra pariter lymphæ præsentis exitio liberavit. Non immerito conjecit Mancinellus voluisse Deum coarguere Græcos à Romana dissidentes Fide, atque illorum præsertim impietatem manifestis prodigiis revincere, qui usum aquæ consecratæ, frequentarum à Latinis derident, ac velut anilem superstitionem cavillantur.

\* Num. 23. 6  
Lib. IV. 37. Lib.  
V. 40.

Exponit deinde quis Ecclesiæ Constantinopolitanæ status fuerit, cum in hanc urbem nostri accesserunt, nempe anno Christi MDLXXXIII. Illi præerat Jeremias Patriarcha, qui ad faciendam Ecclesiæ suæ cum Romana communionem invitatus a Gregorio XIII. responderat id sibi cordi & curæ esse: nihilominus aliquot mensium inducias petierat, ut populum ac præcipue suos Metropolitanos in eandem sententiam pedetentim adduceret. Persensit Patriarchæ consilium nescio quis apostata. Jeremias accusatus quod Turcam baptizasset, exauctoratus cum ignominia, multatus exilio, & Rhodum expulsus est. Vacuam pastore dejecto sedem occupavit monachus, mercatoris frater, oblati gubernatori urbis duodecim aureorum millibus. Jussi sunt ab Imperatore præsules & metropolitani indoctum & vile caput consecrare. Molestè rem tulit Alexandrinus Patriarcha. Egit cum primariis Græcis ut indignum monachum exturbarent. Accusatur duplici præsertim nomine: primum quod litteras Græcas, nimirum quibus veteres Græcorum libri conscripti, & quarum cognitione tota ferè sacerdotum Græcorum nunc eruditio continetur, omnino nesciret: deinde, quod ecclesiasticas dignitates turpissima nundinatione vendidisset. Convictus est. Sed datis clam judici tribus aureorum millibus, pœnam evasit. Accusatoribus silentium indictum.

26.  
Ecclesiæ CP. status, anno 1583.

Justas ad Imperatorem querelas clerus omnis cum populo detulit. Equum postulari judicavit Imperator. Ut monachus occupato male gradu dejiceretur annuit: ne Jeremias tamen revocaretur, quem populus enixè repetebat, vetuit. Certatum igitur de successore deligendo. Metropolitani Patriarchale solum, instar prædii opulenti licitantibus, Metrophanes Philippopolitanus præsul obtulit viginti quatuor aureorum millia, & competitores vicit. Pergebat interim potior ac nobilior Episcoporum & civium pars Jeremiam exposcere, quem solum verum esse ac legitimum pastorem, ceteros fures ac latrones, clamitabat. Sed cum ad istos clamores Imperator obsurdesceret, plerique Nicephorum, Jeremiæ familiarem, virum doctum, & Ecclesiæ Latine, quod adhuc tamen latebat, deditum, in Constantinopolitanam evehere sedem decreverunt. Pergunt ad Imperatorem onusti quadraginta aureorum millibus. Quibus ille benignè acceptis, ratum esse quod petebant jussit. Enimvero Metrophanes expalluit, & excussis prope

pere amicorum scriniis, totidem aureorum millia, ne pelleretur, submisit. Imperator virum esse bonum pronuntiavit, dignum honore tanto, & studio pacis retinendum. Nicephorus, ne quid turbarum cieret, in Cyprum est amandatus. At Metrophanes, ne quis alius obex a Latinæ studiosis Ecclesiæ occurreret, de concordia cum Romano Pontifice constituenda magnificè locutus, missurum se Romam spondit, qui de tanto negotio ageret. Hoc ipsum, sed veriùs, affirmare videbatur Antiochenus Patriarcha, cui litteras Pontificias Mancinellus dederat. Nec minorem revocandæ aliquando concordiaæ spem faciebat vicarius Patriarchæ Armeniorum; itemque Alexandrinus Patriarcha, crebris Patrum cohortationibus ad rem bene gerendam incitatus.

Hic erat Constantinopolitani cleri status miserabilis: populi non melior. Litterarum incititia, & rerum ignoratio divinarum, tetram animis caliginem offuderant. Nullæ bonarum artium, theologiae, aut Ecclesiastici juris scholæ. Parcus sacramentorum usus & infrequens. Ebrietati, licentiæ, luxui, jus quasi publicè datum. Parum erat vitia Turcarum imitari; etiam illorum superstitionem impiam plerique profitebantur, vix ut ulla reperiretur Christiana domus, in qua non exstaret aliquis Mahometanæ impietati palam deditus: neque vero suas filias & sorores collocare Turcis in matrimonium dubitabant. Ipsi liberi à parentibus objurgati minabantur se ad Turcas transgressuros; & in eorum oculis pileum saepe Turcicum induebant. Ita potestas parentum ad liberos coercendos fere nulla. Quo freno remoto adolescentes in omnia flagitia præcipites ruere mirum non est.

A Præfectis Turcis exceptum se fuisse toto in itinere perhumaniter Mancinellus testatur: laudatum a gubernatore urbis Constantinopolitanæ institutum Societatis eo maximè nomine, quod stipendium nullum pro ministeriis evangelicis acciperet. Adductum ad se præpotentis Turcæ servum, fascinatum à veneficis; & ut quidam distabant, à malo dæmone possessum. Hunc primo die sacris exorcismis valde relevatum: altero sacramentis perceptis curatum: tertio penitus liberatum fuisse. Dominum vero, inexpectatæ curationis admiratione permotum, duos ingentes misisse cereos, qui ante sacras Divorum reliquias, à quibus salutem servo partam audierat, ardèrent. Hunc unum capere vulgò fructum è Turcis licet, ut illis veluti per caliginem veritas & splendor Christianæ legis ostendatur. Nam ut cognitam & probatam amplectantur, sperari vix potest, morte Mahometem suum deserentibus constituta. Non desunt tamen qui clam illum eiurent, aut etiam in catholicorum oppida se recipiant, præsertim qui veram olim professi Fidem, eam abjecerunt. Colligunt illi se interdum, & relictas Christianorum partes, Deo aspirante, repetunt. Major & certior utilitas capitur ex iis, qui aut in bello capti, aut à prædonibus Constantinopolim advecti, servitutem ibi durissimam serviunt. Horum incredibilis est multitudo. Alii certo inclusi loco sic tenentur, ut iis fiat liberrima potestas catholice religionis colendæ. Intersunt divino sacrificio, concionanti sacerdoti dant operam, usurpant sacramenta. Alii per nobilium Turcarum aedes sparsi commodiori utuntur servitute. Nec nihil apud Græcos ipsos proficitur, sive catholicos, sive schismaticos irretitos: nec non apud insitiores, quorum tanta vis illuc ex Orbe toto appellit, ut vulgo tria navium millia capacissimum portum, & vicinum litus omne compleant. Utiliter quoque opera ponitur apud Armenios, Persas, Indos; adeo ut quidquid in singulis Missionibus per varias gentes divisum gloriosi laboris ad salutem animarum quæritur, totum hic habeatur in una civitate collectum. Nec abest occasio multa pro Christo patiendi, quæ Turcarum est immanitas, & nominis odium Christiani; atque adeo necis fortiter in obsequio ægrotantium ob-eundæ, cum sævit pestilentia. Hæc alternis fere annis regionem populatur tanto crudelius, quanto minoribus præfidiis adversus illam Mahometani se tutantur. Eadem Missioni funestam saepe cladem affert, partim extinctis operariis, partim alio fugere coactis. Non deterruerat hic metus homines Societatis, a Claudio Aquaviva jubente Gregorio XIII. missos. Pulcherrimè rem non solum inter catholicos, sed etiam inter schismaticos gerebant, faventibus eorum sedulitati Jacobo Germinio Gallorum, & Joanne Francisco Mauroceno Venetorum, Oratoribus.

bus. Frequens populus in ædem sacram ad omnia religionis munia conveniebat: juventuti erudiendæ dabatur opera diligens, quamvis ob grassantes publicè morbos identidem intermissa. Illis ingravescentibus sub annum MDLXXXVI. ac sublatis duobus rei domesticæ adjutoribus, unâ cum P. Ludovico Chitzola, revocatus est in Italiam P. Julius Mancinellus \*. Coorto per idem tempus Venetos inter ac Turcas bello, concidit spes utilissimæ Missionis, eamque in ipsis incunabulis turbo repentius oppressit.

\* Partis V. Lib. VI. n. 13.

Dolorem ex hac religionis & Societatis calamitate longè maximum haustit P. Petrus Cotonus, Henrico IV. regi Gallie a sacris confessionibus, pro eo quo flagrabat divinæ gloriæ studio. Egit anno MDCVIII. cum Rege, qui hæresi deposita, totum se ornandæ tutandæque Fidei catholicæ dederat, de restituenda, in integrum Missionem. Henricus negotium Baroni Salagnaco, legato apud aulam Turcicam suo, enixè commendavit. Ille verò in eam curam adeo naviter incubuit, ut à Turcarum Principe amplissimam veniendi facultatem Patribus impetraverit. Rex parumper expectandum putavit donec rediret Constantinopoli Brevus, regius apud aulam Ottomanicam orator, cui suffectus Baro Salagnacus fuerat. Hanc moram hæresis nacta negotium disturbare summa vi contendit.

27.  
Missio CP. in-  
stauratur.

Editionem Græcam sanctorum Patrum Angli adornabant, freti codicibus manu scriptis regie bibliothecæ, quorum copiam illis Henricus faciebat. Admonitus a P. Cotono periculosum esse, nec satis Christianissimo regi decòrum, istas opes hostibus catholicæ religionis elargiri, perfecerat ut editionis cura, in comitiis Gallicani cleri aliis mandaretur. Angli contumeliam hanc suam interpretati, ultionem parant. Erat Lutetie Græcus monachus Joasaphus. Ei persuadent ut ad Patriarcham Constantinopolitanum scribat, ne Patres Societatis sedem figere Constantinopoli patiatur, homines, ut aiebant, improbissimos, & Græco nomini præcipue infestos; qui non alio consilio in Græciam irrepere contenderent, quàm ut prisca Patrum Græcorum volumina compilarent, corrumpereque; imò eadem tanquam tela certissima, ad oppugnandam Ecclesiæ Græcæ Fidem doctrinamque adhiberent. Patriarcha, acceptis Joasaphi litteris, non satis monacho Græco fidens, ejus epistolam Baroni Salagnaco in manus tradit. Quam ille cum Regi misisset, Henricus fraudem & calumniam indignè ferens, ad instaurandam Missionem vehementius animum appulit.

Patres quinque delecti, præside P. Francisco Canillaco, viro strenuo, & ad ejusmodi apostolicas expeditiones apprime nato. Romam profecti anno MDCIX. & Pontificem venerati, Constantinopolim Septembri mense pervenerunt. Inde illos arcere Societatis adversarii, qui tunc ea in urbe degebant, summa operonati sunt, sparsis in populum sinistris rumoribus, ac delatis ad Imperatorem Turcarum gravissimis querelis. Fregit illorum conatus insigni prudentia & moderatione Baro Salagnacus, Regis Christianissimi legatus. Quoniam autem ædes D. Benedicti sacra, quam olim P. Julius Mancinellus & Socii ante tres & viginti annos infectam pestilentia deseruerant, quibusdam videbatur à populo remotior, & nostris ministeriis parum opportuna; in eaque nosocomium condere parabat Archiepiscopus Tenensis, Visitator Apostolicus; attributa Patribus est ædícula D. Sebastiano dedicata, sed perangusta; cum vicina domo, male pariter materiata & ruinosa. Quamobrem, instante Salagnaco, & jubente Summo Pontifice, restitutum nobis est D. Benedicti templum, cum ædibus adjunctis, ac statim Societatis ministeria cum fructu exerceri cœpta.

Hunc in modum belle omnia procefferunt, quandiu Henricus IV. superstes & incolumis fuit; cujus curis & regali providentia resurgere ac reviviscere Missio visa erat. Ab eo pecuniæ summa fuerat assignata, quæ decem operariis par alendis foret. Regis optimi consilia improvisus ejusdem obitus \* disturbavit. Animos idem addidit Societatis inimicis, ut quæ adversum nos anno superiore frustra struxerant, ad exitum perducere molirentur. Jamdudum studuerant persuadere primario Principis Turcici ministro nos exploratores meros esse, a Romano Pontifice submissos; exitiale hominum genus, omnibus invisum atque infectum. Quo sermone incitatus Vizirus remittere in Europam Patres animum indu-

\* An. 1610. Vide Lib. XII. n. 84.

induxerat, Calumniam initio facile discusserat Salagnacus, interposito Regis nomine, cui Societatem carissimam esse testabatur. Recruduit audita Regis morte hominis barbari suspicio. Nostris nihil formidantibus, repente adest licitorum & militum caterva, quam tribunus Pratoriana cohortis (Janissaros appellant) ducebat. Comprehenduntur Patres, vincuntur, extrema omnia illis denunciantur. Salagnacus Turcicum praefectum, qui de Sociorum causa cogniturus confederat, precibus, minis, humanitate, deterruit.

Perfuncti periculo videbantur, cum subito tristis ab aula nuncius trepidos exanimavit. Jubebat Vizirus cederent imperio Turcico: sic Imperatori placere. Cunctantibus & potentium amicorum auctoritatem opponentibus, idem mandatum semel, iterumque significatur. Salagnacus unum è principibus praefectis, & primarii administri generum, ad causam Societatis defendendam excitavit. Valuit generi apud focerum commendatio. Nec satis: summum copiarum ductorem, veteri necessitudine sibi conjunctum eò adduxit, ut apud Vizirum sponsores se pro Patribus ac fidejussorem palam ferret. His accessit sacrorum praeses, & quasi pontifex Turcicus, qui Romani Pontificis exploratores esse Societatis homines dictitantibus respondit, nihil ab Europa, & insidiis Pontificiis timendum, nihil esse Turcis, quod tectum & occultum vellent. Non destitit orator idem Gallus, post Henrici regis interitum Societatem tueri. Magno vicissim illum beneficio Societas remunerata est. Ipsi frater unice carus erat, sed Calvinii erroribus implicatus. Is in morbum incidit per idem tempus, ac P. Canillacum hortatu, precibus, & eruditione victus, antea pertinax atque adversus omnia fratris optimi consilia & exempla diu obfirmatus, cessit denique, ac veritati perspectae manus dedit: mox, recuperata valetudine, statim atque pedibus niti potuit, solenni ritu ejuravit haesim, & a Visitatore Apostolico, in procerum complurium conspectu, est absolutus. Haud ita multo post restitutum Ecclesiae fratrem, & confirmatam in veteri Missionis possessione Societatem, Salagnacus, quasi votorum compos, excessit, apoplexia oppressus IV. Id. Octobr. MDCX. Dividi à nobis ne ipsa quidem morte voluit, quibuscum vixerat arctissime conjunctus. Itaque P. Canillacum rogavit, ut nostra in aede, communique Patrum tumulo, sepeliretur. Dum triste ministerium maesti obimus, inquit P. Canillacus in litteris III. Kal. Novembr. ejusdem anni scriptis, nova res magnam omnibus admirationem movit. Tria Sociorum corpora deprehendimus; unum in peculiari feretro compositum, in quo sacrum Jesu nomen inscriptum legebatur: alia duo veluti raptim ac temere, ut flagrante pestis incendio, sepulta cum ipsis vestibus, verum adeo integra, ut simile prodigii videretur: praesertim cum duo quadam alia cadavera, ibidem longo post intervallo humata, jam consumpta forent. Eadem anno MDCXXXVI. integra pariter & incorrupta reperta sunt. Erepti nobis Salagnaci animam, & fraternas benevolentiae ac munificentiae vices praestitit ejus germanus Ducarlus: eoque non ita multo post extincto, utriusque jacturam consolatus est Harlaus, Baro Sancyus, Salagnaco subrogatus, Christianissimi Francorum Regis apud aulam Turcicam orator, Societati addictissimus. Eidem plurimum favebat Constantinopolitanus Patriarcha: ejusque in nos voluntas tanto erat exploratior, quanto ipsius in Latinam Ecclesiam studia certiora.

Secundum Missionis cursum retardavit popularis morbus, qui repente quatuor è nostris prostravit, & consecuta morbos pestilentia, quae P. Carolum Gobinum abstulit. Ipsi cura schola puerilis fuerat commissa: eratque tanta ejus in hoc munere laborioso sedulitas, ut cum octonas quotidie horas erudiendae in virtute ac litteris juventuti daret, nequaquam tamen satisfaceret ipse sibi, seque inertiae propemodum accusaret. Adjutor illi datus Claudius Columbus, quinto decimo post die ad meliorem pariter vitam excessit. P. Franciscus Canillacus & Antonius Fregata in grave periculum valetudinis & vitae adducti, de medicorum sententia in insulam Chium deportati sunt. Tenebatur domi P. Guillelmus Levesquius molesta impeditus paralyti, cui nulla satis efficax potuit afferri medicina, quoad in Siciliam delatus cali bonitate convaluit. In hac strage domestica summam experti sumus sollicitudinem ac benevolentiam Patrum Dominicanorum, & geminae

28.  
Secundus Missionis cursum retardavit populari morbo, & nostrorum obitu, paulum retardatus.

geminæ Franciscanorum familiæ: quibus debere nos profitemur, quod hæc Perata Missio non funditus, ut olim, perierit. Haud segnius rerum nostrarum angustias, Sociorumque valetudinem, cives omni genere officii sublevarunt. Itaque senescente pefilentia, & reverso viribus paulum recreatis Canillaco, cum gemino comite, repetita sunt pristina exercitationes. Opportuna Patribus accidit Calogeri, seu monachi Græci eruditio, Romæ nuper in Græcorum collegio Societatis instituti. Catholica veritatis capita eo fidentius contra schismaticos propugnabat, quo popularibus suis minus invisus, minusque suspectus. Multò utilior extitisset religioni pietas Constantinopolitani Patriarchæ, si effugere improborum invidiam potuisset. Sed eorum appetitus calumniis, exilio damnatus est. Discedens præ se tulit dignam aureo illo Chrysofomorum & Ignatorum seculo fortitudinem & constantiam. Schismatis patronos, unâ cum architectis impositæ sibi calumniæ, anathemate perculit. Suffectus ipsi Patrensis Archiepiscopus magnam spem tutandæ religionis & concordia fecit; nec non Armeniorum Patriarchæ, qui per eos dies ex Armenia, ubi statam sedem habet, Vicarium miserat Constantinopolim, inde Romam profecturum, ut Summi Pontificis auctoritatem coram veneretur: virum optimum, & cum Sociis ut Fidei professione, sic animo conjunctissimum. Sane Armeniorum indoles vulgo candidior est, & à Romano minus aliena nomine, quam Græcorum. Ex utrisque non pœnitendi fructus collecti sunt annis MDCXIII. & MDCXIV.

Græcus, Romæ olim in gymnasio Societatis educatus, & ad suos reversus, non infimum inter sacerdotes, quos Papas vocant, locum obtinebat. Ab hostibus Romana Fidei & æmulis diu vexatus, cum eorum insidias ac tela, declinare non posset, plenum desperationis consilium cepit. Mahometanum sumpsit pileum, & in Turcarum fidem patrociniūque se contulit. Postquam deseruit perturbationis æstus, oculos demum aperuit, quos cupiditas inconsulta clauserat; & in templum nostrum irrumpens, quem primum habuit è Sociis obvium sacerdotem, manu tacitusprehendit, trepidantem & male sibi à Turca ignoto atque efferato metuentem. Ducit in secretum templi penetrabile, ac lacrymis obortis ad genua se pronum abjicit, projecto pileo Turcico. Mox, Desertorem impium vides, mi Pater, at pœnitentem. Multa in eandem sententiam locutus, quantum gemitus & crebra suspiria sinebant, oravit ut criminum & censurarum vinculis solveretur. Quem sacerdos prudens, pro re ac tempore monitum, intra diem posteram distulit, quo paratior ad veniam consequendam accederet.

Atque is quidem Mahometanum superstitionem sciens volensque susceperat eandem colebant mulieres duæ, sed ignaræ. A Christianis procreatæ parentibus in prædonum venerant manus admodum puellulæ. Utque erant formâ non illiberali, venditæ nobili hero, inter Sultana famulas honestam serviebat servitutum. Accidit ut nescio quis, factâ è quibusdam indiciis non levi conjecturâ, ipsas esse Christianas admoneret, à piratis, antequam vel se ipsas noscere vel religionem possent, abductas in Turcicam regionem. Ea vox, non sine Dei nutu missa, metum illis attulit ac dubitationem, & quamvis domo clausæ tanquam ergastulo, ut mos illic feminarum est, nihil nisi de Mahomete audivissent, elapsæ sunt nescio quo pacto ad Patres, ac Fide Christiana moribusque institutæ, tam cupidè illam amplexatæ sunt, nulla ut ratione divelli ab ea potuerint. Altera nuptias ab hera potente propositas, & maritum Turcam nobilem constantissimè repudiavit: altera ut nuberet coacta, virum anno post nuptias uno amisit, & officia pietatis cœlebs impense colere perseveravit. Diutius vocanti Deo resistit Belga Calvinianus. Præter adem nostram ibat feria sexta sanctioris hebdomadæ. Introgressus audit de Christi cruciatibus & obita pro cunctis nece. Tangitur, movetur, accenditur. Tamen ignis ille sacer ejus negligentia in fumum inanem evasit. Sed quemadmodum accidit aliquando, ut relicta sub cineribus favilla in repentinum erumpat incendium, revixit occasione levi datâ caelestis ardor. Cenabat apud amicum catholicum: incidit sermo de religione, deque necessaria semper ad eam retinendam constantia. Ad eas voces perturbari subito, conticescere, demum animo linqui & concidere. Assurgunt convivæ: languentem

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

H h h

ac

29.  
Res gestæ in  
Missionē CP. an-  
nis 1613. 1614.

ac lacrymis perfusum allevant, medicum trepidè arcessunt. Quibus ille: Medico nihil est opus, inquit voce intermorta: ducite me ad Societatis templum, ut ibi deponam hæresim. Obluctari Deo trahenti præterea nequeo. Paulatim recepto spiritu pergit in hanc sententiam disserere: ut facile appareret Deum intus agere & docere. Audiebat hæc stupens amicus, nomine catholicus, re quolibet hæretico pejor: qui nimirum octo jam ipsos annos fovebat inimicitias capitales, eamque ob causam sacramentorum usu omni se abstinebat. Ambo domum nostram accelerant, ubi hic odium & scelera, ille venenum hærescos feliciter expuit.

Ambobus inferiores alii duo, suum inter Judæos nomen professi erant Adrianopoli. Reddita utrique salus Patrum ope, ac perturbatis criminum horrorentibus tranquillitas restituta. Modum oratio non habeat, si recensere singillatim velim reductos ad pristina religionis catholice signa transfugas: Christianos milites Turcicis moribus ex diuturna consuetudine inquinatos, ad pietatem revocatos; mulieres a vita profligata perditaque ad castimoniam; schismaticos ab errore ad veritatem traductos. Dum hæc geruntur Constantinopoli, profectus \* in Italiam P. Franciscus Canillacus, inde in Galliam transgressus est, ut quædam negotia Missionis expediret. Jussus à Rege Christianissimo sacra Palaestina loca, ipsius & regni totius nomine visere, peregrinationem eò instituit; qua perfunctus Constantinopolim, anno MDCXIV. in hyemem vergente, se retulit.

\* An. 1613. 20.  
Januar.

30.  
Missio in Mengreliam suscepta. Notitia regionis.

A Constantinopolitana urbe prodiit Missio in Mingrelos & Georgianos. Magna spes rei bene gerendæ ostendebatur. Spem fefellit exitus, nec præter patientiæ fructum alius fermè collectus est. Inter mare Caspium & Pontum Euxinum jacet Georgia, cujus partes duæ præcipuæ. Altera spectat occidentum litus Caspii maris, ac Georgia propriè dicitur, olim Iberia: altera vocatur Mengrelia, & secundum orientalem Ponti Euxini oram porrigitur. Incolæ nunc Odisci, olim Colchi. Caput regionis Sebastopolis: flumen præcipuum, Phasis. Reges communi vocabulo Dadiani appellantur, & Persas donis, Turcas tributo colunt. Aer temperatus, sed humidior crebris imbribus: hinc fructuum elætus sapor. Peculiari tritico panem conficiunt longe optimum, si tener, & à furno recens: aridus enim acefcit. Vini bonitas eximia. Vites applicant se arboribus & ad earum fastigia prorepunt. Frequentes sylvæ abundant ferinâ, & nobilitas aucupio ac venatione pascitur. Narrant humum resonare multis in locis, calcant unguis equorum: unde aliqui suspicantur cavam subtus esse, ac mare Caspium cum Euxino per occultos meatus jungi. Raræ urbes. Pagi domibus paucis constant, sed creberrimi. Supellex omnis lignea: argenti nonnihil in mensis procerum. Furta, cædes, adulteria & ebrietatem, in vitiis non numerant. Peregrinis tamen temperant, imo eos humaniter adhibent. Nunquam domo prodeunt, ac ne dormiunt quidem inermes, inimicorum metu. Unicuique pendente zona culter, eos, igniarium, & sacculi tres; in quibus sal, piper, acus, filum & subulæ. Infantes impune occidunt, si nequeant alere. Dominis in servos summum jus. Eos Turcis vendere consueverunt, præsertim feminas. Nam Mingrelarum forma inter Asiaticas laudatissima. Lugent mortuos diebus XXXX. In luctu vestes scindunt, vellunt comam, pectus plangunt, ululant horribile in modum. Peractis exequiis epulantur opiparè, id mortuis prodesse arbitrantur. Cibos & flores inferunt sepulcris. Natam prolem sacerdotes unguunt chrisanæ, & cruce signant. Post biennium in calidam immergunt, inungunt, & ori panem consecratum ac vinum inferunt. Hic illorum baptismus. Episcopi suas tiaras emunt magno a Primatibus. Sacerdotes Missas, & sacra ministeria vendunt quamplurimos: ducunt uxores, & ad secundas nuptias facile convolant. Hæc illis faculeas non carius aureo nummo constat. Victimæ, ut in veteri lege, immolant. Populus superstitioni deditus. Abstinent a carnibus feria hebdomadæ secundæ, in honorem lunæ: jejunium sumptâ Eucharistiâ solvi putant. Urgente morbo non requirunt usitata sacramentorum præsidia: donum imagini cuiquam sacre offerunt: nam imagines prope in idolorum loco venerantur. Ita suadent sacerdotes, quia lucrum ex ejusmodi donis ingens faciunt. Pleraque carimoniam, ac ritus iidem fermè, qui apud Græcos. Cum Mengrelia Rex (quem vocari Dadianum diximus)

Latinos

Latinos sacerdotes jampridem expeteret, id nostris hominibus significavit per suum oratorem, qui anno MDCXIV. ad aulam Ottomanicam de gravibus negotiis, & facienda potissimum Turcas inter & Mingrelos perenni pace venerat. Rati Patres occasionem minime contemnendam, responderunt nihil futurum in se moræ quin Regem quamprimum convenirent. Auctor hujus consilii præcipuus Baro Sancys, Regis Christianissimi legatus: qui necessarios ad jacienda præclaræ Missionis fundamenta sumptus ulterò nobis obtulit, pro sua constanti erga Societatem benevolentia; & Præpositum Generalem de magnificis legati Mengreli promissis certiorum per litteras fecit\*. Eodem suadente profectus est cum fratre domesticæ rei adjutore P. Ludovicus Grangerius, exeunte Maio anni MDCXIV. & legatum, post confecta brevi negotia secuturum, parumper antevertit. Variis tempestatibus toto mense per Euxinum jactatus Pontum, agrè Trapezuntem attingit. Ab Archiepiscopo Græco Ignatio, collegii Græcorum in Urbe olim aluno, perhumaniter exceptus, paulum ibi substitit.

\* Datis Peræ 6.  
Febr. 1614.

Invitabant illum ac retinere conabantur Armenii, Romanam amplexi Fidem iis in oris. Querebantur esse neminem a quo sui erudirentur liberi, ac Societatis operam implorabant. Grangerius illos bono esse animo jussit, opem pollicitus, si Mengrelia missio constitueretur. Trapezunte digressus cum præfecto Turcico, cui pacis cum Mingrelo Principe transigendæ data cura, peragravit Laziam. Ea regio Trapezuntem inter & Georgiam porrigitur. Christianis olim sacris imbuta, nunc vix retinet Christianum nomen: cetera Mahometes occupavit. Pueri, ut tributis gravibus sint immunes, circumcidendi Turcis traduntur a parentibus. Puellæ, ut parentum salutem consulant, nubunt Mahometanis. Calamitas eò deploranda magis, quo remedii minus apparet. Grangerius, quoscumque licuit, maximè pueros, rudimenta Fidei docuit: Christianas mulieres admonuit officii: catholicos, qui admodum pauci, ad constantiam hortatus est. Urgebant nautæ præfectum Turcicum ut nostros iter institutum persequi pateretur: instare hyemem & procellas. Negavit ille vela prius in Mengreliam faciendâ, quàm compositæ leges pacis fuissent. Cum tamen mare vehementius in dies inhorresceret, paulo ulterius processit. Elapsi per sexcenta pericula jam habebant Mengreliam in conspectu, & in extremum Euxini Ponti sinum evaserant. Ne quis in terram excenderet, vetuit.

Dum fetiales utrimque commeant, abiit mensis unus, itemque alter. Sedebant naves in statione parum fida, cum repente sub medium Septembrem ventus horribilis illas, ruptis ancoris avulsas à littore, vicinos in scopulos abripuit. Enimvero rogare omnes præfectum ut vectorum aliquando miseresceret, eosque vel regredi, vel tutiorem in stationem progredi sineret. Exorari nunquam potuit: ita sibi omnino præceptum ab Imperatore distitans. Igitur octavo Idus Novembres atra nox, & grandine, fulminibus, ventisque horrida mare miscuit, ac decem naves, quæ in hac ora maritima consederant, momento confregit. Una, quæ Socios vehebat, paulo instructior, aliquandiu ventis & irato mari obducta, demum scopulis allisa periit: nostri cum plerisque vectoribus, tabularum ope seminudi enatarunt. Amissa supellex pia, quam ornandæ Missioni ac propagandæ collegerant: cum libris omnibus & sacelli instrumento. Hæ illorum gazæ. Ad proximum erepsere pagum, ubi constructo tugurio populum ac papas (sunt gentis sacerdotes) inscitia miserabili laborantes docere instituerunt. Ad extremas redacti angustias, & pacem desperantes, adeunt præfectum Turcicum: rogant, quoniam subire Mengreliam non liceret, saltem ut redire Constantinopolim fas sit. Multa causatus, annuit. Jam myoparonem conduxerant, cum repente afferretur de pace composita. Latè omittunt reditus consilium, & eodem Myoparone Satcapellam oppidum Georgia subeunt. Hic illis occurrit primus Gorelli (id nomen Georgiani Principis) administer: & ex equo desiliens, flexoque genu, ut est mos gentis, humanissimè salutat. Ad ipsum deinde Georgia Principem ducti, eum ingenti cum voluptate audierunt perhonorificè loquentem de Pontifice Romano; ac prædicantem palam, nisi qui morem ipsi gereret, verum & germanum Christianum esse neminem. Miratus Grangerius unde tanta, tam pro-

31.  
Socii è naufragio vix emerit regionem bello perturbatam offendunt. Missio abrumpitur.

cul, Summi Pontificis veneratio, cognovit ortam hanc esse à veteri Principis doctore, sacerdote & monacho Georgiano, Romæ olim educato. Tanti est pios doctosque viros ex hac Orbis terrarum schola proficisci! Erat Gorelli socer Cortuga, & Mengreli Regis primarius, ut vocant, Vizirus. Nostros agrè dimisit, ac sæpe oratos ut manerent commendavit Regi per litteras. Tertio Nonas Februarias anni MDCXV. Phasim, Mengreliæ & Colchidis antiquæ flumen præcipuum ingressi sunt, ac postridie Heracleam; nec ita multo post Margalam, ubi Dadianus degebat. Subeuntes benignè complexus, & paucis est allocutus. Simul enim cum nostris Turcæ venerant, tributum ut exigent, quemadmodum pacis leges ferebant. Iis vero neque tam cito, neque tam commode fieri satis poterat. Ea cura sic Principem distinxit, ejusque patrum Lipartiam (qui, dum nepos adolesceret, summæ rei præerat) ut agendi de religione potestas interea, P. Grangerio nulla perdiu fuerit. Et ea Principum fors ac miserima ferè conditio est, ut politica negotia gravissimis, quæ sempiternam animæ salutem spectant, curis ducant potiora.

Ecce autem aliud malum. Tebris-Chamus, unus è regulis Georgia, à Persis regione sua ejectus ante paucos menses, accessit ad Dadianum supplex, opem & arma contra Persas focia rogans. Suspensam diu & anxiam tenuit aulam hæc deliberatio. Jam vicini reges quatuor contra Persas fœdus inierant. Bellum pariter capeßere Dadiano placuit, & auxiliares copias quamprimum contrahere. Moror nostros & sollicitudo gravis incessit. Silet enim religio inter arma, neque illi vulgo locus, nisi pacatis tranquillisque rebus est. Convéniunt Cortugam, agunt cum Episcopo, penes quos summa secundum Principem auctoritas. Dadianum rursus alloquuntur. Venisse bonis omnibus renunciat, sed parum opportuno tempore: acturum alias cum iis commodius: nunc omnia bellicis occupata curis esse. Interim ut consistent in Episcopi ædibus monet. Accepit illos præsul, & apud se aliquandiu habuit humanitate singulari.

Jam de domo ipsis extruenda temploque, ut Rex præceperat, agebatur; ambo ad linguam Mengrelicam & Ibericam perdiscendam incumbabant; cum frater Stephanus Vius, P. Ludovici Grangerii socius, in morbum incidit. Ubi Grangerius vidit armorum tumultu omnia circumsonare, progressos ad bellum proceres, nullam fieri copiam interpretis, cujus opera loqui cum Rege ac populo posset; de reditu in Europam cogitavit, divinam adorans providentiam, quæ regum salutem ac regnorum, & idonea tantis rebus *momenta posuit in sua potestate* \*. Hæc secum cogitanti redduntur à P. Joanne Baptista Joberto, Constantinopolitanæ Missionis præposito literæ, quibus monebatur non posse Socios in Mengreliam mitti, ut petebat; nec ulterius rem tentandam videri flagrante bello Persico. Itaque cum bona Dadiani venia, contulit se in Georgiam inferiorem ad Gorellum Principem; ut spem, si qua daretur illic, sequeretur ad foveret. Districtum similiter instruendo belli apparatu deprehendit; nec non regem Caquetiorum in eadem Iberia. Ambo, post confectum bellum se Patrem audituros libentissimè, polliciti sunt. Interrogati de belli mora, duorum triumve annorum fore responderunt. Grangerius amissis naufragio rebus, quas ad Missionem obeundam paraverat; tum etiam spe rei promovendæ destitutus; navim, quæ in Tauricam Chersonesum vela faciebat, conscendit, cum fratre Stephano, qui morbo victus paulo post piè cessit è vita. Pestis ab aliquo vectorum in navim importata, cum ex iis nonnullos oppressisset, ipsum Grangerium tentavit. Attingit Constantinopolim tamen æger, exeunte Sextili. Pestiferam febrem medici pronunciarunt, eaque postero die quàm advenerat extinctus est \*.

\* Die 22. Augusti, 1615.

32.

Missio ad Montem Libanum, & Maronitas.

\* Vide Hist. Soc. ad annum 1578. n. 37.

Melioribus auspiciis inchoata fuit expeditio, ad Maronitas anno MDXCVI. suscepta. Montem Libanum in Syria incolunt Maronitæ, Fidemque catholicam *in medio nationis præva* retinent \*, silvarum & montium quodam quasi vallo muniti ab immanitate Turcarum; quibus vestigal ita pendunt, ut præcos mores cum parte libertatis conservent. Religionem administrat Patriarcha, communibus suffragiis electus. Publicam rem duo præfecti, sive administri, gerunt, quos Diaconos vocant, ex ipsa pariter creati gente: jus dicit prætor Turcicus, Emyr vulgo

go nuncupatus. Maronitarum nomen à B. Marone, abbate Syro, qui circa septingentesimum ab ortu Christi annum florebat, ductum fuisse verisimillimum est: cujus vestigiis inherentes, nunquam à Fide catholica deflexerunt. Ad eos legationem miserat anno MDLXXVIII. Gregorius XIII. iisdem collegium in Urbe posuerat\*, ejus curâ Societati demandatâ. Ex illo Seminario qui redibant in patriam sacerdotes, dicebantur negligi à Patriarcha, & in otio torpere: tum, vitii quidpiam manasse in gentis mores & sacrorum ritus, fama erat. Quamobrem Clementi VIII. lectos è Societate homines mitti placuit, qui diligenter, quo res rota loco esset, inspicerent. Designavit Præpositus Generalis Hieronymum Dandinum & Fabium Brunum. Tradita ipsis certa mandata, cum epistola Pontificis & muneribus Patriarchæ deferendis. Venetias appulsi vestes peregrinorum ad sacra Palæstinæ loca tendentium, induunt Turcarum ac prædonum metu, obviamque navim ignoti conscendunt sub Idus Quintiles anni MDXCVI. Libanum montem Dandinus attingit Kalendis Septembribus; nam Brunus morbo retardatus Tripoli substiterat. Patriarcha Sergius ad capefenda Romani jussa Pontificis paratissimum se præbuit. Questus tantum est omissum fuisse in litteris Pontificiis nomen ac titulum Patriarchæ Antiocheni, quem sibi jus & consuetudo tribuebat. Ceterum prorsus negavit Maronitas erroribus laborare, quos ipsis malevolentia vel inscitia nonnullorum affingebat. Laudavit Ecclesiæ Maroniticæ integritatem Dandinus, ac si quid illa peccaret, leniter excusavit. Sanè comperit gentem planè catholicam esse, vitiatos tamen ejus sacros aliquot codices, per fraudem vicinorum hæreticorum, & schismaticorum. Huic malo provisum est remedium duplex. Data primum fuit opera, ut ex Urbe afferretur emendatorum vis magna codicum: deinde vocati sunt ad synodum Episcopi & sacerdotes primarii.

Convenerunt omnes exeunte Septembri. Post editam, præeunte Patriarcha, professionem Fidei catholicæ, erroribus dictum est anathema, quibus nationes vicinæ scatebant: mox conditi canones, ac sancitum ut ne facile differretur baptisma: ut eorum qui vitali fonte regenerati forent, conficeretur index & in ædis sacre tabulario servaretur: ut Episcopi diocesim quotannis lustrarent, & sacro Confirmationis chrismate fideles inungere ne omitterent: ut Eucharistiæ nemini copia fieret, nisi rationis per ætatem compoti: ut res divina nudis pedibus, etiam privatim, ne fieret: ut reservarentur in posterum Patriarchæ & Episcoporum potestati graviora quædam crimina: ne inter impuberes, aut cum hæreticis atque schismaticis, contraherentur matrimonia: ut recentes a partu femine sacrarum ædium aditu ne prohiberentur: ut primariis in parœciis designaretur locus certus, quò diebus Dominicis ac festis vicini presbyteri convenirent, de sui muneris officiis audituri: ut ratio haberetur graduum cognationis à Tridentino præscriptorum concilio. Statutum etiam ne mitterentur ad Romanum Seminarium nisi grandiores pueri: ne incomitati; ne grammaticæ rudes. Qui vero è Seminario patriam reviserent, alii parœciis præficerentur, alii verba facerent ad populum, alii plebem ac pueros erudirent: nonnulli conscientia quæstiones explicarent sacerdotibus; codices suspectos & mendosos recognoscerent emendarentque. Demum, si qui viderentur ad navandam Episcopis operam idonei ab iis adiutores adficerentur. Synodo maturè, ne suspensionem Turcis faceret, absoluta, Patriarcham quasi votorum compotem vita defecit. Actum de successore, deligendo. Patres, ut liberiora essent suffragia, Tripolim secessere. Die condita, pluribus suffragiis cleri & populi creatus est Josephus Rîsius, Archiepiscopus, Abbasque Glaya: honore isto, propter egregias dotes, dignissimus. Qui statim unum ex alumnis Romani Maronitarum Seminarii, Moysen Anaïsum, Episcopum renunciavit: alterum Joannem Efronitam, Archipresbyteri dignitate auxit: tertium, Georgium Amiram, consecravit etiam Episcopum, & explicandis morum quæstionibus præfecit. Gratulati novo Patriarchæ Patres, egerunt gratias pro ista in Seminarii Romani alumnos benignitate: cumque rursus ad quadragenaria ejus antecessori demortuo justa persolvenda primores Ecclesiæ convenissent, optimum factu putavit Dandinus, si ad firmandam rerum in priori conventu sancitarum auctoritatem nova synodus haberetur. In ea, Josepho Patriarcha

Anno 1588.

cha professionem Fidei palam edente, confirmata sunt unanimi consensu prioris concilii placita: rebusque felicissimè ac placidissime compositis, Patres sacra Palæstinæ monumenta venerati; & sub extremum anni sequentis ver in Italiam regressi, legationis suæ rationem Pontifici lætissimo, Superisque maximas grates agenti, reddidere.

*\*Vide Concilium  
iitid in Labbeo  
Tom. XV. p. 1471*

Magnam quoque Clementi lætiam attulit confecta feliciter Utinæ synodus Aquileiensis eodem anno MDXCVI. \* per Franciscum & Hermolaum Barbaros, illum Patriarcham, hunc electum fratris adiutorem. Quosdam è Societate Jesu theologos a Præposito Generali Patriarcha petierat. Missi sunt PP. Antonius Possevinus & Ludovicus Galliardus, quorum in hac synodo prudentiam Pontifex collaudavit.

33.  
Missio & legatio  
Babylonica.

Dispar omnino ac dissimilis successus legationis Babylonica, Patribus à Paulo V. mandatæ, & Missionis, fuit. Chaldæi quorum regio ad Euphratis & Tigris confluentes latè porrigitur, & antiquæ Babylonicae fermè respondet, Nestoriani vulgo vocantur, quia retinent errores Nestorii: quibus imbuti, & ab Ecclesia Romana divulsi, proprium sibi Patriarcham Babylone instituerunt. Non semel ad obsequium & communionem cum Ecclesia Orbis magistra redire velle visi sunt: ac potissimum anno MDL. cum inter Patriarcham & quosdam è clero populoque, Romanæ Sedis ac veritatis amantiore orto gravi dissidio, tota gens in duas partes scissa fuit; aliis Patriarcham Nestoriumque, aliis Pontificem Romanum defendentibus. Partis catholicae vota Romam tulit ad Julium III. Summum Pontificem Simon Sulacha\*, ex Ordine religioso S. Basilii: quem Pontifex præfæc Nives, quam hodie Mosul, sive Mausilum, appellant, & nationis universæ Patriarcham creavit. Hic Fidem catholicam, a Romana ipsi traditam Sede, cum inter suos promulgasset; vetuissetque ne deinceps Nestorii nomen, tanquam viri sancti, appellaretur à diacono, in divina re faciendâ; deditus Turcis ab alterius partis Patriarcha, coniectus in vincula, & è medio sublatus est. Datus fuit Simoni Sulachæ successor Abdiesus, monachus ex eodem Ordine S. Basilii, qui Tridentum profectus ad synodum Oecumenicam, ac deinde Romam delatus, suæ Pio IV. & suorum obsequia detulit, ab eoque Patriarchæ nomen jusque confirmatum habuit. Abdiesus Aatalla\*, Aatallam Densa Simon excepit, qui missus Romam Archiepiscopo Hermete, catholicam Fidei professionem edidit. Pallium à Gregorio XIII. donatum Hermes ipsi deferebat cum muneribus amplissimis, anno MDLXXXIII. Sed occupatus morte decessit in Monte Libano. Densa Simon rata prorsus habuit quæcumque per Hermetem Romæ gesta fuerant. Quin etiam summo populi assensu quosdam è Chaldæorum clero misit Romam plenius erudiendos. Interim alter Patriarcha, opibus & partium Nestorianarum numero studiisque prævalidus, Patriarcham catholicum fugere in Persidem coegit, ac solus rerum veluti potitus est. Invitatus ad concordiam, destinavit in Urbem religiosum virum, qui nihil aut parum admodum promovit. Majorem fecerat expectationem ejus successor Mar-Elias, a quo legati Romam sunt missi per eam occasionem, quam sum dicturus.

*\* Spond. ad ann.  
Christi 1553.  
nu. 16.*

34.  
Concordia  
Chaldæorum cū  
Ecclesia Roma-  
na identidem  
tentata.

Accidit ut inter pauperes, quibus anno MDCV. Paulus V. pedes abluebat, feria quinta majoris hebdomadæ, solenni Pontificum more atque instituto, adessent duo Chaldæi, monachus unus, alter laicus. Hi domum reversi renunciaverunt Eliæ Patriarchæ suo, quanta paterni amoris significatione accepti fuissent à Pontifice Romano: eidem munera quædam Pauli V. nomine, ac præsertim Fidei formulam à Christianis in Oriente versantibus observandam obtulerunt. Patriarcha, Pontificis eximia in se suosque caritate permotus, certos è clero ad eundem misit, qui gratias illi agerent, orarentque ut Chaldæis sacellum in æde Hierosolymitana sanctissimi sepulcri concederet. Legati à prædonibus intercepti & spoliati omittente iter institutum coacti sunt. His alii suffecti cum venissent in Urbem, intellexissentque Nestorii nomen invisum ibi & execrandum esse, ut Nestorianæ hæresis invidiam declinarent, nonnullas è libris, quos ad probandam gentis suæ doctrinam attulerant, paginas decerpserunt. Sed comperta fraude, rejecti, & in patriam cum ignominia remissi sunt. His auditis Patriarcha, intro cum

eum Episcopis suis consilio, statuit spectata virum eruditionis & ingenii denuo mittere, qui posset rationem Fidei Chaldæorum & doctrinæ, si esset opus, reddere. Delectus est Adamus, camera patriarchalis Archidiaconus, & Chaldæorum monachorum, uti se vocitabat, Archimandrita; sic abbates primarios Græci vocant. Romam tertio, quàm inde legati priores discesserant, anno venit; Patriarchæ sui, ut aiebat, litteras reddidit Paulo V. Adjecit commentarium a se compositum, in quo dogmata Chaldæorum conciliare cum Romana & catholica Fide conabatur\*. Mansit Romæ toto triennio; ac disputantes, quod jussit Pontifex, theologos frequens audivit, personamque satis bellè, nondum notus, egit. Nec dubitavit ore tenus ejurare pristinos errores; præsertim ubi damnatos in concilio Ephesino intellexit, ac Nestorium diris in eodem devorum, quòd impiè affereret Christum Dominum fuisse merum hominem, in quo non aliter habitasset Verbum Dei, quàm in templo: divinam atque humanam naturam *accidentaliter* in illo conjunctas, non *substantialiter* & *hypostaticè*; ex quo inferebat Beatissimam Virginem, Christi, non item Dei, matrem esse appellandam: ac duas in Christo fuisse personas humanam & divinam. Hæc ubi Archimandrita fuerunt demonstrata, obstupuit. Nam sacrorum Conciliorum volumina si quando legerat, non legerat nisi ab hæreticis fœde truncata, & depravata. Ventum deinde ad sextam Synodum Generalem, sive tertiam Constantinopolitanam, ubi definitum fuit duas inesse in Christo Domino voluntates, ac duas operationes, utriusque videlicet naturæ, divinæ & humanæ proprias; damnatique defensores contrarii dogmatis. Illos pariter condemnare visus est Adamus, & agnoscere Chaldæorum errores ac detestari. Conciliorum acta & decreta, quæ illi fuerant exposita & explicata, jussit Paulus V. accurate describi, & in Chaldaicum sermonem converti, ut ad Patriarcham deferrentur. Addidit epistolam S. Cyrilli & synodi Alexandrinæ, scriptam ad Nestorium, & alia id genus nonnulla.

Cum vero post ejectionem Constantinopoli Nestorium, & in ultima extinctum Libya, viveret adhuc ejus hæresis in scriptis Theodori, Episcopi Mopsuesteni, quo magistro usus erat, & cujus auctoritati ac doctrinæ plurimum Babylonii tribuebant, misit Paulus V. ad eundem Patriarcham Babylonium sententiam à quinta synodo contra Theodorum, ejusque dogmata pronunciatam. Adjecit digno Romano splendore ac pietate munera, particulam Sanctæ Crucis aurea inclusam theca, gemmis radiante; librum Evangeliorum Arabicâ lingua scriptum; facelli argenteam suppellectilem, cum mitra, vestibusque sacrificantium.

His ornatus cumulatque donis Archimandrita, instructus etiam abunde viatico discessit, cum Pauli V. amplissimis litteris ad Patriarcham, itemque ad Maronitarum antistitem, ut Chaldæorum causam, & cum Ecclesia Romana consensionem adjuvaret; denique ad Franciscanorum Hierosolymis præsidem. Contendebat enim Adamus concessum olim a Romanis Pontificibus, quod nullo tamen argumento probabat, Chaldæis in æde Franciscanorum Hierosolymitana sacellum: ea de re admonebat Pontifex Franciscanorum præsidem, ut quid opus factum esset, disquireret. Discedenti Archimandrita dati sunt a Paulo V. comites duo Societatis sacerdotes, P. Antonius Mariettus Romanus, & P. Petrus Matseita Maronita. Illis traditum fuit exemplum litterarum Apostolicarum, data provincia conveniendi Patriarchæ, & optatissimum concordie negotium cum illo consiciendi; ac summopere commendatum, ut nulli parcerent operæ, quo Pontificis expectationi res tanta planè responderet.

Hactenus exposuimus primordia hujus celeberrimæ legationis, quæ Romam & orbem Christianum majori affecisset voluptate, si exitus principiis respondisset. Hunc à nemine, quod quidem sciam, litteris consignatum, quia propriè historiam nostram spectat, accuratius referri par est. Profecti Roma cum legato Patres, incunte Junio anni MDCXIV. Messanam attigerunt VII. Idus ejusdem mensis, vela in Syriam facturi, quæ brevissima in Chaldæam erat via. Hic tergiversari legatus, & moras necere: nummos etiam undecunque corradere; multa temerè conqueri, licet splendide in omnibus Societatis domibus, quacunque iter erat, haberetur. Cum navis esset in promptu nulla, quæ Alepum recta tenderet,

35.  
Patriarchæ Babylonii legatus, Romam missus an. 1610.

\*Vide Commentarium a Petro Stroza editum anno 1617.

36.  
Legatus Roma discedit cū duobus Societatis sacerdotibus, à Pontifice delectis.

deret, petiere Melitam, ubi Ordinis Magister per duos menses eam exprompsit in novos hospites munificentiam, quæ pietatem ejus ac liberalitatem decebat. Kal. Januar. anni MDCXV. navim procellis gravibus jactatam appulerunt ad Cyprum; unde, non expectatis Patribus, Archimandrita subito Alexandriam Syriæ & Alepum properavit. Hæc festinatio nescio quid sinistri ominis habere visa. Auxit suspicionem Franciscanus ex urbe Hierosolymitana recens, ubi aiebat multorum sermonibus percrebuisse, Adamum veteratorem esse certissimum; fictas ab eo litteras, subrepto, vel adulterato Patriarchæ sigillo. Hic rumor stimulavit Patres ut eum quam celerrimè consequerentur. Alepi resistentem offendunt, & fugam circumspicentem. Multa cum Patribus exposulabat: illos nimis curiosos & perspicaces esse, qui nihil eorum, quæ gererentur, ignorare vellent. Eisdem suis ubique rationibus & commodis adversari. Alia sycophantam ac verior interiorque causa efferabat, & alienabat a Patribus. Verebatur scilicet ne per eos cognoscerentur quæcumque per impiam simulationem fecerat Romæ dixeratque. Illi vero, non statim id suspicati, rogaverunt enixè ut indicaret num quid ab ipsis commissum foret, quamobrem relictos ac destitutos veller. Adhibuerunt etiam instar sequestris & internuncii, qui facilius, & remotis arbitris, ejus mentem exploraret, Georgium Amiram, Maronitam præfulem. Hoc unum respondit, se inspectoribus non indigere; comites molestos agrè ferre. Cum affirmarent Patres nihil sibi esse antiquius, quam ut ipsi obsequerentur, quoad liceret, ac satisfacerent; vix adductus est ut iter cum illis in Mesopotamiam carperet.

37.  
Deveniunt Amiram. Gentis inficitia & errores.

Perventum est Amidam XIV. Kal. Quinctiles anni MDCXV. Subeuntes excepit Gabriel Archiepiscopus non inurbanè. Congressi non semel cum eo ejusque comitibus Nestorianis, deprehenderunt supinam sacerdotum miseræ gentis incitiam, qui duas in Christo personas ponerent, neque quid persona, quid natura sit, quod utriusque discrimen, explicare possent. Id exponere adortus P. Mariettus, unum hoc ab Archiepiscopo, momentis rationum victo, responsum tulit; sic institutum a prima pueritia populum esse, nec ab antiqua opinione unquam dimovendum: Nestorio impositos falso errores: ipsum virum sanctum atque adeo miraculis insignem existisse, pro quo non dubitaret emori.

Miserantibus tantam cecitatem Patribus supervenit trepidus a Patriarcha, ut narrabatur, tabellarius, cum epistola ad Archiepiscopum & Archimandritam conscripta. Eam stans Adamus & aperto capite legit. Significabat nostris Patriarcha, ut Alepum confestim regrederentur, neque ulterius pergerent. Sæpe inter Turcas rumores de illis periculosos: versari se magno in metu, ne propter ipsos aliquid sibi ac suis exitii crearetur. Rogarunt Patres ut litterarum autographum inspicere liceret, ac penes se habere. Negatum est: concessum duntaxat exemplum. Tum Adamus, quid consilii caperent rogavit. Illi deliberandum amplius de re tanta responderunt. Postridie rursus interrogati, candidè renunciarunt fictam sibi epistolam videri: causas, cur ita judicaret, atulere tam perspicuas, ut Archimandrita expallescere. Ejus pudori ut parcerent, subjecere, quamvis epistolam vere a Patriarcha scriptam concederent, nihilominus à decepto & rei male gnaro missam: suarum esse partium errorem illi eripere: quod ubi perfecissent, nihil in se futurum moræ, quin statim discederent. Hic Adamus clamitare, ac Patrum pertinaciam inculcare. Instare illi contra, & mandata Summi Pontificis opponere: se ab eo missos ad Patriarcham, nec discessuros, donec ipsi diploma Pontificium in manus tradidissent. Nobis vero, ait Archiepiscopus, erit curæ ut ad Patriarcham diploma Pontificium tuto perferatur: vos facessite, oro, & molesti esse desinite. Atqui habemus quæ communicata cum Patriarcha coram oporteat. Litteras ad eum si quas habetis, retulit Adamus, date illas mihi, ut in oculis vestris lacerem ac proculcem. Multa hunc in modum per impotentiam locutus, è conspectu se proripuit: populumque admonuit, ne qua communicatione ullius rei vel sacræ vel profanæ cum Patribus, tanquam abominatis & à piorum commercio removendis, jungeretur.

Illi multa & justa per summum dolorem questi, ab omnibus destituti, consilii pariter inopes & auxilii, hæserunt aliquandiu incerti quo se verterent. Neque

que ratio ulla ostendebatur & opportunitas ulterius progrediendi, neque regrediendi: cum in promptu non esset mercatorum, aliorumve peregrè comitantium, securitatis ergo congregata manus. Nec minus erat periculi, si remaneret in oppido: nam ut quisque illos ad Turcarum prætorum detulisset, erant in nervum aut perpetuam servitutem abducendi. Jamque nonnullorum erumpebant adversus Archimandritam querelæ, quod Francos in urbem introduxisset, perturbatores publicæ quietis, avitæ religionis hostes. Accendebat ignem seditiosum Adamus, id agens ut omnem illis aditum ad Patriarcham obstrueret; aut, si perstarent in sententia illius conveniendi, ambos prius male perderet. His animadversis cesserunt oppido, & in vicinum pagum se receperunt.

Ibi dum in omnem evadendi ad Patriarcham occasionem imminet, oblatis sunt præter spem tres mercatores Arabes, locorum periti. Pacto pretio discesserunt cum illis, intempesta nocte; & VIII. Idus Sextiles, elapsi per insidias prædonum, & sexcenta pericula, denique sospites antiquam Niniven tenuerunt.

Hæc civitas Tigri fluvio imposita, in ea regione quam Assyriam propriam, nunc Arzerum aut Aderbigiam appellant, vix antiquæ Ninives (si ea tamen est) umbram ac rudera pauca retinet. Non procul visuntur ædes Patriarchæ Babylonii: Tellosof loco nomen. Illuc XVIII. Kal. Septembris, qui dies Assumptæ in cœlum Virgini Matri sacer est, transmissio flumine, pergebant læti, cum ipsum Patriarcham obvium habuere. Ibat Niniven, negotii causa. Vultus annos admodum quinquaginta præferebat: vestitus plebeius, frons ad humanitatem composita, facilis indoles, modicæ litteræ. Salutant, venerantur, diploma Pontificis offerunt. Resalutat comiter, & missum quidem a se Romam Adamum fatetur, cum levidensi munusculo: at nihil hunc mandati a se aliud habuisse, quàm ut ageret cum Summo Pontifice de concedendo Hierosolymis sacello Nestorianæ nationi, in æde sancti Sepulcri; quemadmodum Græcis, Armeniis, aliisque Christianis nationibus concedebatur. Si quid ab eo de religione propositum, aut mutatum fuisset, id factum ut nummorum aliquid corrogaret: licet disertis verbis abeuntem monuisset, ne se pretio ullo vel prece adduci pateretur ad resigendum apicem doctrinæ vel unum. Ad vos quod spectat; inquit, licebit consistere apud me quandiu videbitur: sed nihil mutandum aut movendum, ad religionem & nostra dogmata quod attinet, denuncio. Sub hæc Patres exemplum epistolæ ipsi ostenderunt, quam ab eo missam Adamus proxime dixerat. Negavit à se scriptam, ac vehementer obstupescens indignansque, Inultum hoc nequaquam ferret, ait, si tanta hic esset auctoritas mea, quantam esse conveniret. De muneribus Pontificiis factus certior, egit prolixè gratias: & de Romanæ Sedis amplitudine, deque ipso Pontifice Maximo differentes domi suæ Patres libenter audivit. De doctrina, erroribusque Nestorii, facta quoque mentio identidem; sed frustra. Ne diutius apud Patriarcham nostri remaneret, fecit primum adempta spes rei bene gerendæ: deinde metus ne quid ipsis ab Adamo periculi frueretur: denique hyems adventans, quæ nivibus itinera intercluderet. Quamobrem, salutato Patriarcha, & pro rei gravitate diligenter admonito, discessum adornarunt Hierosolymam versus; quò ipsos litteræ præposito Franciscanorum reddendæ, ac loci visenda sanctitas vocabat. Placuit antea tamen orare Patriarcham, ut ne gravaretur aliquid litterarum ad Summum Pontificem dare. Scripsit in hanc sententiam. Plurimam dicebat salutem Summo Pontifici, quem verbis perhonorificis compellabat. Negabat missum à se Adamum, ut rem ullam in Chaldæorum doctrina mutaret. Litteras in quibus de religione ageretur, si quas obtulisset Pontifici, ab eo suppositas & confictas fuisse. Sibi esse certum perseverare in Fide à majoribus tradita. Denique profitebatur gratissimum sibi Patrum adventum accidisse; dolere se plurimum quod alicubi accepti fuissent parum è dignitate: id se inficio & improbante factum: nihil a se prætermisum, quo diutius eosdem retineret: verum ipsorum precibus, atque adeo metu ne quid acerbius in illos Turcæ consulerent, permotum annuisse ut citius abirent. Addidit litteris levia munera ferenda Romano Pontifici: quædam Patribus obtulit. Hæc illi principio modestè recusarunt: consultius tamen postea judicarunt eadem

38.  
Egrè ad Patriarcham evadit. Quid cum eo egerint. Legati perfidia & improbitas.

sumere, quo certius Patriarcham ab ipsis conventum fuisse constaret. In viam se dedere IX. Kal. Septembr. Amidam ingressi, exeunte mense, diutius ibi restituerunt, donec certus mercatorum numerus coiret, quorum in comitatu praedonibus infestum iter securius capefferent. Interea dolens Adamus quod se invito atque inscio Patriarcham essent allocuti, multo astuavit magis ubi litteras ab eo datas ipsis rescivit, perferendas ad Pontificem. Illas ut Patribus extorqueret, novam excogitavit stropham. Mittit ad eos è monachis unum, cum epistola Patriarchæ admonentis ut redirent, interessentque conventui antistitem & sacerdotum, quos unum in locum congregasset, ut de religione collatis capitibus & consiliis deliberarent. In eo conventu aiebat Patriarcha legendas esse litteras, datas Patribus à se ad Pontificem: si redire gravarentur, saltem litteras istas redderent: si renuerent, per vim illas ereptum iri. Suboluit fraus nostris: ea spreta, iter institutum persecuti sunt, quanta potuere maxima celeritate. Itaque VI. Nonas Octobris Alepum attigerunt.

Ecce autem novus attonitas aures occupat rumor: Patriarcham cupere vehementer Patres rursus alloqui: processisse ob eam rem in viciniam urbi Amidæ, ubi eos morari audierat, locum: esse caput aliquod majoris momenti, de quo consultos ipsos vellet. Suaferunt amici ut redirent; at non ambo: dividendum esse, si quod immineret, periculum. Ivit igitur alter; ac XV. Kal. Decembris Patriarcham adiit Marbetione (monasterii nomen est haud procul Amidæ.) Causa revocandi Patres erat Adami sycophanta nova calumnia, negantis eos à Romano Pontifice, verum à suæ Societatis Præposito Generali missos, ea mente ut impedirent ne sacellum Nestorianis in æde Hierosolymitana traderetur. Litteras ab ipsis Patriarchæ redditas, nequaquam esse Pauli V. litteras, sed ejusdem Præpositi Generalis. Offensus impudenti mendacio Pater, postquam illud cumulate refutavit, mentionem intulit de donis amplissimis, quæ ad Patriarcham ferenda Pontifex Adamo tradiderat. Compertum est nihil ex iis oblatum Patriarchæ, præter volumina duo Arabice conscripta: cetera partim vendita, partim aliis donata. Objecit etiam in os veteratori nequissimo, anathema dictum ab ipso Romæ palam Nestorio ejusque gregalibus. At ille factus quidem est nuncium se omnibus hæresibus erroribusque publicè remisisse, non item Nestorio: apud se concilia quælibet Oecumenica nauci esse: stare Chaldaeos Canonibus Apostolicis: cetera nihili pendere. Ausus quoque furcifer effutire multa in Ecclesiam catholicam indignissima: Neque ipsi Patriarchæ pepercit. Norat hominem & meticulosum & Nestorio ebrium. Sane non ita pridem Patriarcha scripserat ad Franciscani cœnobii præsidem Hierosolymitanum in hæc verba: *Renunciatum est nobis esse tibi in animo excurrere huc usque. Accipiemus, uti decet, hospitem carissimum; ac tibi, quantumque poterimus, feremus opem, & votorum compotem dimitemus: modo ne causam Patrum Societatis tuendam suscipias, qui nobis eripere Nestorium volunt, ac persuadere conantur unicam esse in Christo personam; & Mariam, Dei genitricem, uti vos dicitis, appellandam esse. Id si agis, auctor tibi sum ut manens domi, neve operam inanem sumas. Fixum enim mihi ac deliberatum est, ne latum quidem unguem discedere ab ea Fide, quam a majoribus acceptam, ab antecessoribus Patriarchis defensam & stabilitam habeo, & habeo dum vivam. Qui me aliter meosque sentire credit, errat. Hoc testatum omnibus volo.*

Quod ageret cum Patriarcha sic affecto sacerdos Societatis, nihil erat. Ergo reditum parans, quarit quid renunciari velit Summo Pontifici. Cogitantem quid responsi daret cunctantemque occupavit Adamus, & respondit Chaldaeos eandem ac Romanos profiteri Fidem; verbis fortasse dissidere. Hoc enim isti jactant, ac populo persuadent, nullum inter se ac Romanam Ecclesiam discrimen intercedere, nisi verborum. At, inquit rursus Pater, nonne Nestorium execratus es Romæ? Ego vero, neutiquam. Id unum affirmavi: si S. Nestorius ea quæ illi affinguntur, sensit dixitve, detestari me hominem ac devovere: at eum nunquam hæc sensitse vel dixisse certo scio. Applausit dicenti multitudo circumfusa. Superos omnes testatus contra Pater, protulit Adami concepta verba, ut Romæ exstabant adhuc in publicas tabulas relata: nec non professionem Fidei, quæ à

venien-

venientibus in Urbem Aſianis edebatur : ad extremum rogavit denuo , ut reſponſum Pontifici referendum edicerent. Nullum , inquit Adamus , dari poteſt , niſi prius impetratum fuerit ſacellum Hieroſolymis ; quod unum poſtulamus . At ſaltem , retulit Pater , gratias decet agere Pontifici pro lautiffimis , quæ tibi dedit ſerenda Patriarchæ , donis . Quæ dona loqueris ? ait Adamus . Mihine quidquam Pontifex ? . . . Et circumſpiciens , ſaxum quo feriret Patrem , ſuſtulit . Fit clamor , & concurſus : lapis è furioſi manibus eripitur , & ſenſim ad mitiora verba ſermo traducitur . At non ſic res abiit probo & ſapienti monacho , qui partes Romani Pontificis & noſtras acrius , quàm placebat iſtis Neſtorianis , propugnauerat . Adami quippe juſſu graviter vulpavit . Infelicis monachi cruciatu quievit paululum reſpreſſus hominis impotentis furor . Societatis ſacerdos , veritus pejora , ſe ſubduxit , Alepumque repetiit .

Cum primùm hyeme pulſa patuit mare , ſolverunt Alepo Patres V. Nonas Martii anni MDCXVI. & luſtrata urbe ſancta , Patriarcham Maronitarum in Monte Libano , ut erant juſſi , convenere . Mox alter in Cyprum excurrit , ubi juvenes aliquot Romam in Seminarium Maronitarum deducendos acciperet : denique ambo Alexandria Syriæ profeſti , Melitam pridie Idus Septembres , ac Meſſanam , ſeneſcente Octobri , tenuerunt . Romam delati VI. Idus Novembris , ea quæ fecerant & audierant miranti maſtoque Pontifici retulerunt . Hinc liquet ſapienter inſtitutum eſſe ut non facile fides , nec ſtatim habeatur ejuſmodi legatis ; ſed exploretur diligenter , a quo miſſi , cur , qua poteſtate atque auctoritate præditi veniant . Ut veritas inquiratur a conſulibus , quos vocant , ſive præfectis qui rem Hiſpanam , Gallicam , aut Venetam in his regionibus adminiſtrant : item a mercatoribus , qui ultro citroque comitant , & actores ſuos in iſdem collocatos locis habent . Denique ut res tota cognoscatur per certos homines , ad caput legationis auctoremque deſtinatos : quod ſi factum nunc foret , non tam fraudulenter Orbi Chriſtiano præſtigiator impius illuſiſſet . Illud etiam recte providetur , ne iſti legati donis onerentur , quæ & pereunt donantibus , & incitamento ad fraudem ac ſimulationem eſſe ſolent . Demum admonet ipſa ratio , & experientia perſuadet , nihil facile cum alienis & ſuſpectis decernendum ; ſed expectandum , donec aliquid ipſimet egerint , ex quo de illorum ſinceritate conſtet . Verbis male creditur , quæ non deſunt etiam improbis : rebus factiſque jure ac tutò fidæ , quæ niſi probis ac volentibus non adſunt .

Exitu lætiori peractæ ſunt excuſiones Apoſtolice in Corſicam , Pantalariam , Chium , Naxum , & alias aliquot Ægæi maris inſulas . Itum in Corſicam eſt anno MDXCV. jubente Summo Pontifice , poſtulate ſenatu Genuenſi , cujus inſtitutione eſt Corſica . Fruſtus operæ ac labori planè reſpondit . Pantalariam Socii adire anno MDCXII. Eſt hæc inſula in Sicilia conſpectu , quæ Lilybæum promontorium excurrit in mare . Coſſyram veteres dixerunt : olim in regum Tuncanorum , nunc in Hiſpanorum ditone . Triginta paſſuum millia ambitu colligit . Solum aſperum ac ſterile , quod incolarum tamen induſtria & labore manueſcit . Utuntur illi Africana , ſeu Arabica lingua : hinc eorum cultura difficilior . Caros tamen Superis eſſe docet tutela præſens Beatiffimæ Virginis , cujus imaginem ſervant in ædícula prope arcem ſita . Hanc ante octingentos annos pictam fuiſſe teſtantur elementa Græca imagini ſubjecta . Hoc inſula veluti Palladium , & munimentum adverſus omnia pericula , & calamitates habet ; neque ſe votis unquam ſuis , ſive ingrueret fames , ſive aer æſtuofus imbrem ſatis arentibus invideret , fruſtratam fuiſſe meminit . Illuc miſſi à Præpoſito Generali Societatis , & ampliffimis ab Epifcopo Meſſanenſi , cui procuratio hujus inſulæ eſt attributa , facultatibus inſtructi , Meſſanam venerant duo Societatis ſacerdotes anno MDCXI. exeunte . Dum opportunitatem tranſmittendi ac ventos præſtolantur , ecce tibi duæ naviculæ portum Nonis Decemb. ſubeunt , vela præter Pantalariam , propediem facturæ . Vectoribus erant reſertæ Chriſtiani , uti præ ſe ferebant . Verius prædones & Mahometanos dixiſſes : licet ejuratum a ſe Mahometem teſtarentur , & Chriſto datum nomen . Sed illi , præter nomen , vix quidquam dederant ; mores perditos ac proſtigatos retinuerant . Dubitatum à Patribus eſt utrum in-

39.  
Patres in Ita-  
liam redeunt .  
Quædam obſer-  
vanda .

40.  
Sacra expeditio  
in Corſicam &  
Pantalariam  
deſtinata .

hanc facinororum turbam adderent se se: permoti divino quodam impetu con-  
scenderunt. Statim intellexere non falsam de vectorum moribus famam ad se  
perlatam: nec tamen susceptum sine Numine consilium cum iis navigandi. Nam  
unus, itemque alter, piis sermonibus induci ad peccata deponenda, eodem alios  
perdixerunt. Omnes scelera detestati, magna veri doloris dedere documenta;  
& in insulam Pantalariam tantisper egressi, partem suæ pietatis indigenis aspersere.

Factum inde initium sacræ expeditionis per Adventum Christi Domini &  
Natales ferias: tantaque morum commutatio derepente existit, ut ipsi se indi-  
genæ mirarentur. Explicata pro concione peccati gravitas vehementer illos per-  
culit, præsertim cum eam in multis haud ita magnam; in cogitationibus vero  
vel teterrimis, levem aut nullam inesse arbitrarentur. Itaque confessiones ab ul-  
tima, ut plurimum, pueritia repetitæ sunt, eoque libentius, quod vernaculam  
Patres callerent linguam, Italis ignotam vulgo sacerdotibus aut Hispanis, si quan-  
do illuc appellerent. Instaurata, quæ jacebat, Rosarii sodalitas: puerili scholæ  
præpositus sacerdos, gnarus sermonis & probus, quem secum Patres deduxerant:  
inspectæ, ut Episcopus jufferat, ædes sacræ: recognita & recensita quæcumque  
ad divinum spectabant cultum: ut, si quam labem temporum vitium intulisset,  
aut hominum incuria, sarciretur. Discedentes exeunte Januario Patres civitas  
ægerimè dimisit, multo persusa fletu, quem lætitia pariter & mæror expresserant;  
mæror de illorum digressu, lætitia de fructu percepto.

Quantum Pantalariam Chius & magnitudine, & nobilitate superat, tanto  
uberiores fructus dedit. Est Chios una è majoribus Ægæi maris insulis, inter  
Samum & Lesbum, ad oram Ionæ. Ager ubique lætissimus & cultissimus,  
coeli temperies optima: incolarum opes haud pœnitendæ. Anno MDXCII. venit  
Societas in hanc insulam jussu & auctoritate Clementis VIII. Eò profectus P. Vin-  
centius Castaneola, indidem oriundus, & notus indigenis, dena circiter catho-  
licorum millia reperit in primaria urbe, omni ferè auxilio destituta. Quo im-  
pensus totum se illis excolendis dedit. Nihil deinde omisit Aquaviva, quod ad  
Missionem hanc instruendam & ornandam utile judicaret. Ac sane tanta indige-  
narum docilitas & ingenii bonitas est, ut attentiore culturâ digni merito ha-  
beantur. Eos olim, florente adhuc Græcia, mari plurimum potuisse accipimus.  
Sub Genuensium potestate olim erant: Turcarum jugum subiere anno MDLXV.  
Qui cum initio moderate dominatum exercebant, Societati magnam rei bene geren-  
dæ facultatem præbuerunt. Reversus est Romam P. Castaneola anno MDXCV.  
cum uno è primoribus insulæ, ut auxilia evangelica contraheret. Videbat enim  
per quotidianam Christianorum cum Turcis consuetudinem depravatos populi  
mores; opus esse strenuis cultoribus non paucis; in primis autem aliquo stabili  
censu; perparum quippe subsidii ab incolis, quos Turcarum avaritia sæpe com-  
pilat, expectandum; nihil etiam postulandum, ut collocatus apud eos labor tanto  
esset gravior, quanto magis gratuitus. Cultores Aquaviva impigre subministra-  
vit: subsidia rei pecuniariæ assignavit Pontifex: iis coempta suppellex, præsertim  
sacra, & phaselo imposta: qui ex ostiis Tiberinis solvens cum aliis sex, piratas,  
à quibus ceteri capti sunt, unus præter omnium spem, quasi non visus, effugit,  
ac Neapolim incolumis, nec ita multo post Messaniam tenuit; quò Socii omnes  
ut fuerat constitutum, convenerant. Inde vela per Ægæum facta sub initium anni  
MDXCV. tot inter tamque immanes procellas, ut negarent seniores nautæ, &  
in hoc sæpius pelago versari, saviores a se unquam visas, auditasve.

Immunis procellarum terra non fuit. Locus gymnasio destinatus, quia intra  
ipsam arcem erat, nullam templi exstruendi faciebat spem; vetantibus Turcis  
ædes sacræ, iis præsertim in locis, ædificari. Quare Benedictus Garettus Epi-  
scopus, Franciscani Ordinis, consilio senatus & populi coacto, unanimi omnium  
consensu templum Patribus attribuit a Sancto Antonio dictum, pridem a civitate  
commodatum religiosi viri; quorum unus duntaxat vacuas & amplas occupa-  
bat ædes; & ille quidem Ordine sanctissimo & suo nomine parum dignus. Itaque  
hospites invisos ut admitteret ægre exoratus, paucis post diebus ultrò recessit  
ad germanum fratrem suum, ejusdem insulæ civem: mox fratris filium misit Con-  
stanti-

41.  
Insula Chios, &  
alia quædam  
Ægæi maris lu-  
strata, & excu-  
ta.

stantinopolim, qui ejiciendos insula Chio Patres curaret. Illius querelas & calumnias accepit avidè Anglus in aula Ottomanica orator, suæ reginæ odio in Societatem stimulus. Decretum impetrat, quo Europæi sacerdotes nuper in Chium adveſti, & proceres insulæ quatuor, eorum præcipui fautores, jubebantur vinciri, & Constantinopolim deportari. Patres confestim scriptis ad Christianissimi Regis in eadem aula oratorem litteris, & exposita rei veritate, decretum alterum obtinuerunt, quo ipsis jus pacati tutique in insula domicilii asserebatur. Nondum tamen adversarii quieverunt. Suas ad Pontificem querelas detulere. Qui ab Episcopo, civitatisque principibus edoctus, calumniatores repulit; & Apostolico diplomate \* domum templumque Societati attribuit. Opportunitate pacis usi Patres, emendare mores improborum, probos augere pietate, salutarem omni hominum generi, omni animorum morbo manum admoveere studuerunt: tantaque est rerum in melius mutatio consecuta, ut palam Turcæ prædicarent, ex quo Franci sacerdotes (Francorum nomine Europæos omnes vocant) advenissent, Christianos sanctos evasisse. Puerilis ætas præsertim est imbuta optimis præceptis, & pudoris ac modestiæ vinculis frenata. Jam, Romani Pontificis & Latinorum rituum nomen, quod odio schismaticis & contemptui erat, venerationi esse cœpit: adeo ut incolæ per litteras Clementi Pontifici grates egerint, quod viros ipsis misisset, quorum ope & beneficio præcepta à pueritia opiniones, Ecclesiæ Romanæ parum aquas exuerent. Ipsi qui Byzantium, qui Athon montem obtinebant, Calogeri, seu religiosi Græci, Chium, audiendi novos magistros, vel consilii ab iis petendi gratia, consuebant: portentique simile visum, quatuor homines, (nec enim Socii tunc plures erant) tot rebus tam bene ac utiliter gerendis pares esse potuisse. Scriptum est anno MDCXII. supplementum. Recentes Evangelii copiæ advenerunt, quas Benedictus Hærcæus, Ordinis Franciscani, quem Discalceatorum vulgo vocant, insulæ antistes, excepit perhonorificè, ac postea sic rebus omnibus gerendis adhibuit, ut nihil iis non consiliis & consultis administraret. Præter scholas ab adolescentibus Latini ritus & Græci frequentatas, & instituta domi nostræ quina sodalitia, captivis Christianis ad remum Turcicum damnatis opera diligenter est navata: nec solum expiati sacramentis, sed plurimi quoque in libertatem vindicati: è primoribus Turcarum nonnulli sua nobis studia ultro detulerunt, & quotiescumque se dedit occasio, nos omni genere officii profecuti sunt.

In circumjectis insulis adjuutores adhibiti sunt a Patribus Græci sacerdotes, rite prius instituti, ad populum Romanæ Ecclesiæ adjungendum, & a Græco revocandum schismate. Legati è Naxo insula publicè missi adfuerunt orantes eadem animorum subsidia, quæ vicinis suis impertita cernebant. Est Naxus una è duodecim præcipuis Cycladibus. Adventantes Socios non minori excepit studio, quàm expetierat. Deliberatum ab incolis postea fuit de mittenda legatione ad Summum Pontificem, quæ unum quempiam è Societate insulæ præselem deponeret. Certatum est diu acriterque a nostris ut eos ab hac sententia dimoverent. Ægerrimè impetratum. Saltem oraverunt ut manerent in insula, imo egerunt cum Turcico magistratu, ne quis illos exciperet aliò transmittendos. Promissa est statio temporaria, si Roma fineret. Confestim igitur Summo Pontifici supplices destinata litteræ, nomine totius insulæ: data item ad Cardinalem Bellarminum, & ad Societatis Præpositum Generalem, a quo voti compotes demum facti, certam stabilemque Societati apud se dederunt sedem. Repetita fuit hæc ad insulas Ægæi maris expeditio annis MDCXIII. & MDCXV. Paulus V. certum vectigal nostris, qui hoc pelagus, terris frequentibus quasi constitum, obirent, attribuit. Indigenas devinxerunt majorem in modum Socii laudandis præfisci scriptoribus, Græciæ catholice luminibus, & Græcanicos ritus prudenter approbando. Laboratum parumper est in extirpanda prava, quæ inveteraverat quibusdam in locis, consuetudine. Post consanguineorum mortem carebant ultro æde sacra, neque sacrificio aut concionibus intererant per unum duosve annos; eaque re funebrem luctum in primis metiebantur. Excindi statim abusus tam gravis non potuit: certæ dumtaxat luctui præstitutæ sunt leges, donec inepta & impia consuetudo paulatim senesceret. Quo promptius Evangelici doctores audi-

\* Data 2. April.  
1596.

audirentur fecit imber in insulam Naxum anno MDCXV. ab illis auspiciato velut importatus; quem cœlum arvis sitientibus jam pridem, licet diuturnis lacessitum votis, negaverat. Ventum è Naxo in Therasiam, Episcopi sede, cœnobio sacrarum ex Ordine Dominicano virginum, & insigni plebis catholicæ adversus Romanum Pontificem observantia nobilem. Populi multitudinem cum templi angustia excluderent, verba pro foribus fuere facienda. Non eandem in insula, Paro, Latinorum cum Græcis consensionem offenderunt; imò paucos admodum Latini ritus, ob eam causam, quod nullus longo intervallo sacerdos Latinus ibi conspectus fuisset. Valuit plurimum ad Græcos demerendos declarata Summi Pontificis erga ipsos benignitas; qui suis sumptibus Patres Societatis, à quibus in vera pietate confirmarentur, mitteret; quique id studeret unum ut catholicam retinerent Fidem ac doctrinam; nequaquam vero ut suos ritus & mores abjicerent, quod nonnulli discordiæ concitatores prædicabant. Ea denunciarione multis in locis Romanæ Sedis amor, & obsequium restoruit. Egressi Patres inde Scyron, adierunt. Ex incolarum quinque sexve millibus paucissimi Græcos sectabantur ritus. Magna hic auctoritatis Pontificiæ veneratio; sed sacerdotum magna penuria, major inficitia. Contrà, in Andro insula pauci utebantur Latino, plurimi Græco ritu. Patres ibi amatissimè sunt excepti non solum a Christianis, verum etiam a Turcis; quorum prætor ubi rescivit eos in populo erudiendo, in explicanda pueris doctrina Christiana, visitandis & consolandis ægris, calamitosi omnium juvandis ope dies noctesque versari, nullo à quoquam accepto laboris pretio; magnis laudibus Institutum, ab humanæ mercedis commodique studio tam remotum extulit.

42.  
Excursionés in  
Africam.

Non tantum in Asia; sed in Africa quoque littora procursum fuit. Oppidum est Africanum in ora maritima regni Fezzani, Melilla vulgò dictum; Mauris ereptum a Ferdinando Catholico. Illuc, postulante Malacitano antistite, PP. Josephus Quadrius, & Petrus Angelus navigarunt anno MDXCII. Confirmata pietas Christianorum, revicta Maurorum impietas, & nonnullis erepta. In his virgo duodennis fuit, quam è propinquis unus, hac in urbe captivus opposuerat pignori pro se, donec aureos octoginta, pretium suæ redemptionis, vicinis è locis collegisset. Eam Quadrius, cum in solenni supplicatione Crux publicè circumferebatur, vidit procumbere supplicem in genua. Sciscitatur quid rei sit; cur Crucem, ipsa nequaquam Christianis imbuta sacris, veneretur. Christiana equidem, inquit, non sum: at personant aures meæ arcanis quotidie vocibus, quæ me Christianam esse jubent: nec mihi quidquam esset optatius, si per parentes liceret. Sane vetitum regiis legibus erat, ne Mauri pro vadibus aut obsequiis dati, sacris Christianis initiarentur inficis parentibus. Ecce autem puellæ propinquus ille, cum ejusdem patre Melillam redit: pretium, pro quo erat oppignerata virgo, representat, eamque reducere domum parat. Negat illa se abituram, nisi Christiana sit. Minari pater, blandiri, territare. Nihil minæ, nihil blanditiæ profecerunt. Rem admirans Quadrius egit cum puellæ parentibus ac propinquis ut sibi diligentius interroganda traderetur, & Christiano gregi annumeranda, si perstaret in proposito. Id cum exorasset, primum omnium ab ea percontatur cujus tandem voce, vel hortatu juberetur esse Christiana. Et virgo, Voce pueri, ait, qui ad portam urbis visitur: & Quadrius ducit ad portam, ubi statua pueri Jesu ab Hispanis militibus præsidariis posita fuerat è ligno. Quotidie soleo, subjecit puella, textam è floribus corollam illius imponere capiti totiesque me, ut Christiana sim, admonet: nec satis scio qui fiat hunc ut puellum plus parentibus, patria, ceterisque rebus amem. Docuit Quadrius quis ille puer, & quantus esset: ac paucis post diebus sacro lustratam fonte, Christianam fecit. Haud ita multo post Socii è Gaditano & Hispalensi collegio profecti sunt in ejusdem Africæ oram Herculeo prætentam freto, ubi Tingis & Septa, celeberrima Fezzani regni oppida. Illos acciverat Episcopus; incolæ totos se docendos ipsis regendosque tradiderunt.

Est Neapoli sodalitas nobilium & in Professorum domo; ceteris misericordiæ operibus, tum vero Christianis Mahometana servitute liberandis dedita. Ubi con-

confata est idonea summa pecuniæ, certos allegant in orâ Africanæ urbes prædonibus refertas, maxime Rufcurium, nunc Algerium vulgo dictum; qui de captivorum redemptione paciscantur. Ad id muneris delectus est anno MDXCII. P. Julius Mancinellus, cum duobus è Societate comitibus. Non paucos, qui à Fide catholica desciverant, ad eandem revocarunt; aliorum expiavere noxas; omnes ad æternam libertatem dura, sed brevi, servitute promerendam cohortati sunt. Sexaginta ex omni numero, solutis catenis, deportati Neapolim, & per urbem circumducti, pulcherrimum spectaculum præbuerunt; cum paulo ante Turcici nominis septem, a Sociis instituti, Christo solenne sacramentum in templo Professorum dixissent.

OMNIMUS, tum studio brevitatis, tum propter similitudinem rerum, quæ legentibus molesta, plurimas Missiones ex omnibus ferè domiciliis Societatis perfectas; alias statim temporibus; alias ut res ipsa, vel antistitum aut populorum voluntas ac pietas tulit. Porro, quantum è singulis colligere licuit, hic ferme ordo, hæc ratio piarum, è quibus Missiones constant, exercitationum tenetur. Primum omnium parochis, ac sacerdotibus, tum dynastis locorum arbitris; demum populo pro concione significatur destinata & obeunda Missio: deinde initium ducitur à solenni supplicatione, in honorem Dei ac Divorum loci præsidum, ad eorum opem implorandam. Matutinum tempus transigitur audiendis confessionibus, & habenda oratione sacra, una vel altera. Sunt qui summo mane, præsertim ruri & per astatem, populum in ædem sacram dato signo vocatum doceant modum matutinæ precationis rectè peragenda, ac verba ipsa pioque affectus præeant: vel etiam artem effata religionis & mysteria meditandi, ut est personarum conditio captusque, commonstrent. Id vero utile omnibus est quod à quibusdam rectè usurpatur diebus Dominicis ac festis, ut intelligatur quo pacto interesse quisque rei divinæ debeat. Conscendunt suggestum linteati, additâ, si videtur, stolâ, cum altare sacerdos operaturus ascendit. Tunc explicant populo in genua provoluto, & verso ad aram vultu audienti, singulas divini sacrificii partes, prout vitæ ac neci Redemptoris unaquæque respondet. Inserunt affectus idoneos conceptis verbis, quæ tacita plebs non tam audit, quàm format intus ac repetit. Elicitur dolor de peccatis, amor erga Christum, ceterique virtutum variarum actus tanto ardentius expromuntur, quanto vehementius animos sacrificii majestas, & Victimæ cœlestis præsentia commovet. Pomeridianis horis doctrina Christiana populo explicatur. Ac primis quidem diebus traditur modus rectè confitendi. Estque id initio perquam necessarium, ut è confessionibus, quarum ingens tunc numerus, pœnitentes fructum capiant. Certum etiam tempus assignabitur erudiendis rudibus & pueris. Post meridiem quoque visuntur ægri, dissidentium similtates & rixæ componuntur; lustrantur nosocomia & carceres. Vesperis, cum populus frequens & opere solutus adest, habetur concio vehementior & concitator, præsertim de *Novissimis*: tum ratio examinandæ conscientiæ proponitur, ubi de odio & fuga peccati multa utiliter immiscentur. Exemplarum non omittenda in concionibus: nihil æquè ad animos permovendos valet. Examine conscientiæ subjunguntur solitæ preces, ac præsertim Litanîæ Beatiss. Virginis, cujus amor & cultus impensè populo commendandus: sed ita, ut ad mores emendandos via per illum sternatur. Si plures degant ibi, ubi sedet Missio, sacerdotes, congregari possunt, & indicto certis diebus cœtu, de officio ac munere sacerdotum admoneri prudenter & modestè: de ratione celebrandi sacrificii, de conscientiæ quæstionibus, & aliis id genus, sermo cum iisdem conferetur. Nonnullos etiam juvabit Spiritualibus Exercitiis excolere.

Opera universè danda, ut fiant restitutiones famæ ac pecuniæ; idque ut plurimum antequam absolutio contentibus impertiatur: ut odia & inimicitia tollantur, ut evellantur scandalorum zizania, ut sacramenta pie ac frequenter usurpentur: denique ut vitia publicè grassantia comprimantur. De iis maturè & caute inquirendum: deinde remedia prospicienda, quàm lenissima: nam violenta, nec efficacia sunt, nec diuturna. Adhibendi ob eam rem in consilium viri prudentes, & morum ac locorum periti. Non omittenda cura puerilium scholarum

J.V.  
 QUID IN MISSIONIBUS PRÆCIPUE CURANDUM.

rum ac ludimagistrorum : virginum Deo sacrarum : virorum denique nobilium , quorum exempla plurimum in utramque partem valent . Si messis multa erit , adfisciscuntur in partem laboris sacerdotes docti & pii : è religiosis interdum familiaribus , si quæ versabuntur in vicinitate . Vincitis postremò consulendum , pauperibus & ægrotis . Ut autem bene constituta vigeant stentque , instituentur sodalitates novæ ; aut antiquæ pristinum in decus restituentur : earum patrocinium viro cuiuspiam potenti , uni pluribusve , deferetur . Matronas reperire est sapientes ac probas , quibus varia pietatis publicæ munia rectissime committuntur . Sancienda diligenter dierum festorum veneratio , liberorum in parentes , populi erga magistratus obedientia : frena luxui , spectaculis inanibus , & periculosis ludis injicienda . Sub finem Missionis , moris est indicere plenissimam peccatorum veniam , & Communionem Generalem : dumque cœlestis ferculum populo dividitur , pietatem appositis vocibus excitare . Clausula Missionis est supplicatio illustrior , in qua Divinum Christi corpus circumferri solet .

43.  
Artes variæ pietatis in populo fovendæ .

Adnectam huic loco varias fovendæ & amplificandæ pietatis artes , quæ ceteris in urbibus frequentatæ facem aliis præferre ad imitandum possunt . Invenio publicè a nonnullis propositas imagines fuisse piæ , quæ dum explicantur , evangelica veritas non auribus tantum & animo , sed oculis prope ipsis percipitur . Imagines , pictæque tabulæ , apud imperitos & agrestes librorum vicem obtinent . At ubi est legendi facultas , & emendi copia , plurimum emolumenti fit spargendis in vulgus libellis piis : simul ratio monstranda qua legi debeant , non cursim & præpropere , sed accuratè cogitateque ; admixta identidem precatione , qua cœlestis gratia impleretur , ut effici completerique , quod legitur , possit : notatis temporibus ac locis , ubi deducatur ad opus cogitatio salubris inter legendum suscepta . Includunt nonnulli mysteria religionis & præcepta morum , in piâ quædam carmina , eaque cantanda populo proponunt : sic per aures demissa religionis arcana subeunt facilius , & obscenæ aut inutiles cantilenæ eliminantur . Cohortandi sunt in primis parochi & pastores animarum ut sæpe verba faciant ad populum , non oratione compta & meditata ; sed familiari & obvia . Quod ut profecto majoris fructus , ita facilioris est operæ . Paucos enim videas qui dicere commodè queant oratione perpetua , nec indiferta : quotus autem quisque est , cui satis animi orisque non suppetat , ut elementa doctrinæ salutaris vulgari & interrupto sermone proponat ? Plus multo ad persuadendum valet dicentis pietas , ardor animi , solida ratio candide ac simpliciter exposita , quam fucus & pigmenta limatæ orationis , & verborum actionisque operosa jactatio . Quo loco non erit alienum admonere , quod sæpe observatum est , minimum profici disputando cum pervicacibus ingeniis aut imperitis , præsertim hæreticis : vinci multò facilius inducitur de pietate colloquiis , & universa quadam catholice veritatis commendatione , quæ illius inserat amorem , simulque dubitationem de oppositis erroribus injiciat . Sæpe levicula ratio de medio sumpta , rude ingenium aut leviter litteris tinctum , validius commovebit , quàm omnes philosophorum argutiæ , aut roborum theologorum . Tum isti disputando fracti , facile in errores pristinos relabuntur , quia se non tam doctrinæ veritate , quam subtilitate doctoris victos putant : qui autem amore pietatis aut erroris metu ducuntur , vulgo se constanter in retinenda religione præbent .

Illud utiliter institutum fuit Neapoli , ut singulæ familiæ adfiscerent sibi fortitò unum aliquem è cœlitibus , quem anno toto patronum ac præsidem haberent . Hujus imago prostabat in eo ædium loco , ubi cerni ab omnibus & coli posset : certæ ad eam fiebant preces quotidie . Quæ vero lux illi sacra vertente anno recurrebat , eadem toti familiæ festa erat . Hanc usurpando Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramento , hanc lautiori mensa , sed maxime præscriptis in scheda virtutum officiis , celebrabant . Assignatum quisque habebat opus aliquod pium , in quo datum sibi sorte Divum imitaretur . Sic mutata feliciter , & antiquata superstitio , quæ vetus ac profana Italia Penates nescio quos & Lares venerabatur . Quoniam autem è studio precandi , tanquam è fonte , cetera bona profuunt , curatum ut mane singulis in familiis dies a precatione duceretur , in-

eamque

eamque defineret. Hanc ferè quotidie collecta unum in locum vespertinis præsertim horis domus tota peragebat, addito examine conscientiæ. Suum etiam erat assignatum tempus libro pio cunctis audientibus lætando; suum adorandæ, quæ pulvillo jacebat imposita, Cruci sanctissimæ, præsertim feria sexta.

Non referrem hic ista, quæ apparent externam tantum speciem intuentibus levia & minuta, nisi compertum esset, in iis momenti sæpe plus ad veram pietatem esse, quam in aliis nonnullis, ad splendorem pompamque comparatis. Quod si quis hæc non satis digna putat historiæ majestatem, is parum videtur attendere quid intersit discriminis inter historiæ religiosam, & alias. Istæ facere vulgo fucum student amplificandis ornandisque rebus, neque aliud impensius, quam admirationem legentium & voluptatem aucupantur: illa sic res magnas confectatur, ut humiliores non prætereant, è quibus veræ utilitatis aliquid capi possit. Religio ipsa, qua nihil divinius, quam multa docet ac proficitur, quæ propter tenuitatem suam atque humilitatem superbas mentes offendunt? Leve nihil existimandum, unde salus animarum & major Dei gloria efflorescit.

Otii nostri non est persequi singillatim varias artes juvenorum aut ægrotum, in nosocomiis; aut victorum, in carceribus. Si Dei ac proximorum amor adsit, non deerit industria, quæ ad salutem animis afferendam sæpe plus, quam contentio & doctrina conducit: ut ex uno alterove exemplo cognosci potest.

Matronam ægotantem, quæ in hæresi consenuerat, nemo poterat erudire. Pertinaciam dabat sexus, augebat ætas, consuetudo firmabat. Monet sacerdos è nostris unus mulierem catholicam, ut ægram conveniat officii & amicitia causa, & quid ipse molitur, docet. Adest ipse post paulo, velut ignarus, & oblatum ex improviso. Sermonem de religione infert cum matrona catholica: quæ dum sacerdotem interrogat, ac vicissim interroganti respondet, eruditur hæreticam, nec opinantem, & veritatis amore salutisque succendit. Abibat sacerdos. Revocatur: & oratus ut pergeret, quod inchoaverat feliciter absolvit. Alius ad hominem facinorosum in tenebricoso vincitum carcere progressus, sæpiusque ab eo rejectus, ubi vidit improbum nulla flecti via posse, renovato veteri S. Francisci Xaverii exemplo, nudavit humeros, & se cruento flagello lacerare cœpit, negans finem cadendi facturum, donec respisceret. Quo spectaculo commotus ille, respuit. Omnibus fiat omnia necesse est, qui omnes facere salvos vult.

Viget iste præsertim in Italia mos præclarus, ut verbum vitæ spargatur sine ambizioso apparatu eloquentiæ, in compitis, in foro, *ubi est impetus spiritus* \*. *\* Ergeb. I.* Quamquam enim in sacris ædibus audire mortales & alloqui Deus amet, non est tamen ejus vox loci ullius angustis circumscripta. Id in illis maxime concionibus perspicitur, quæ in urbium plateis, ad circumfusam ac prætereuntem multitudinem, jam tum ab instituta Societate haberi cœptæ sunt; & quarum vim anno MDCII. Panormus admirata est; cum unus è nostris, necdum etiam sacerdos, in foro concionabundus vim lacrymarum ab auditorum oculis, & ab animis obfirmatis in scelere poenitentiam expressit. Dicentem animadvertit civis præteriens, vitæ profligatissimæ ac famæ; per annos quinque ac viginti pastus latrocinii, e quibus opes immensas, ac formidolosam optimo cuique potentiam collegerat. Hic ad comites conversus, & plangentis populi aspectu delectatus, Subeamus, inquit, propius, obsecro, & quid iste niger histrio declamitet, audiamus. Paulisper audierat; movetur totus: colorem, & quod incredibile videatur, animum mutat. Mox templum ingressus obortis lacrymis peccata confitetur, & certa vitæ penitus emendatæ documenta dedit. Sed jam alia quædam ad illustrandam religionem paulo splendidiora videamus.

INOLEVIT hæc inter Christianos, è profanis & impuris ethnicorum moribus hausta labe, ut triduum quod jejuniis Quadragenario præcurrit, insigni ludorum, epularum, concursationum licentia plerique transigant; ad eum ferè modum quo prisce Romani sua celebrabant Bacchanalia. Huic malo Roma nova & sancta facere medicinam tanto difficilior poterat, quanto suavius erat malum, & vetustius. Consuetudo jus quoddam rebus vel perditissimis arrogat, & populus ægerime à publicis oblectamentis avertitur. Indignæ tamen licentiæ frenos industria

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

Κ Κ Κ

pie-

S. VI.  
OPERA QUÆDAM  
ILLUSTRIORA  
PIETATIS INSTI-  
TUTA, VEL RENO-  
VATA.

\* Lib. XVI. n. 32.

pietasque sodalium B. Virginis iniecit, mosque in Christianum orbem ex Urbe Orbis magistra propagatus dies voluptati addictos, religioni & orationi consecravit. Nata fuerat anno MDXCIII. in domo Professorum Societatis Romæ Sodalitas nobilium, quæ ab Assumpta in cœlum Deipara nomen habet\*. Hæc, dum in omnem ornandæ virtutis occasionem imminet, horarum quadraginta comprecationem aliquoties privatim per eos dies usurpaverat. Venit in mentem præfecto sodalitiî Federico Cassio, Duci Aquæ-Spartæ, populum in hujus sancti operis partem vocare, precesque istas è privati facelli parietibus, ac veluti umbra, in publicam lucem efferre. Placuit addere nonnihil pompæ, qua plebs ab inanibus Bacchanaliorum, quæ instabant, spectaculis avocaretur, oculorum auriumque pio lenocinio. Quo magis ad ejus sententiam ceteri sodales, quorum exquiserat mentem, accederent, fecit Summus Pontifex, qui delictorum indulgentiam, sodalibus pie sic precantibus concessam, ad alios quoslibet pertinere ultro voluit. Sodalibus igitur impensam prolixè conferentibus, ædes sacra Professorum insigniter est adornata. Operis novitas ac splendor percudit Romam, licet magnis rebus visendis assuetam, & spectandi studio universam excivit.

44.  
Geniales ante  
Quadragesimæ  
jejunium dies  
ad pietatem  
compositi.

Templum in tres divisum partes erat. Prima, versus principem aram, theatri speciem exhibebat, lychnis ardentibus, aureis argenteisque vasis & statuis, pictis tabulis, & scena fulgente conspicuam. Media pars, quæ duo altaria respicit, alterum Sancti Ignatii, alterum S. Xaverii, patebat vacua; & commentium, spectantium, precantium undam accipiebat reddebatque. Tertia & ima, quæ versus valvas porrigitur, in duo dividebatur septa, quorum alterum viros, alterum feminas confidentes aut precantes continebat. Parietes serica & aurea tegebat vestis; tholum byssinâ in telâ micantes auro stellæ distinguebant. Pavimentum odoratis constratum herbis, aer thure delibutus multo, halabat. Aures mulcebat vocum, organorumque musicorum canor: oculos & animos accessit, nox, fenestris omnibus oclusis, & lampadum cereorumque facibus victa, sacro quodam horrore perfundebat. Subibant inter hæc è multis, quæ Romæ sunt, sodalitatibus piis, aliæ atque aliæ, instructo agmine, cum suis insignibus, ordine & apparatu pulcherrimo: nec non è religiosis familiis plurimæ; modestiam, pietatem, rerum cœlestium amorem, aspectu ipso incessuque spirantes.

Primo die fecit ad majorem aram Præpositus Generalis Societatis, ac sub divinum sacrificium habuit concionem, & cur institutum id spectaculi fuisset, quantæ sint publicarum & assiduorum precum utilitates, ostendit. Post meridiem, breves identidem cohortationes interpositæ, admisto dulci pioque vocum & organorum concentu. Idem ordo ceteris diebus est observatus. Incredibilis hominum ad cœlestem mensam accumbentium multitudo; manantes præ gaudio multorum ex oculis lacrymæ; precandi perpetuitas & constantia, modestia, silentium, tenera pietatis ardor in omnium extans ore, fati indicabant quam vim ea species ad permovendos animos haberet. Successus opinione major Patres juxta, & sodales accendit; opusque singulis deinceps annis repetitum est magna ornamentorum, & apparatus, varietate: scenâ modo columnis ordine ad prospectum exquisito dispositis; modo erectis pyramidibus; modo pictis, quæ sanctissimo Sacramento congruunt, sacrarum litterarum historiis, magnificè instructâ. Clemens Pontifex, quoad vixit, rem divinam non semel tunc peregit in templo nostro: ac sacri Cardinalium collegii confessus (quam Capellam vocant) ibidem per eos dies sæpe habitus est. Solenne triduum insigni clauditur pompa. Romanus Senator sub vesperam accedens, cum excellentissimis Urbis Conservatoribus, a Patribus Societatis obviam prodeuntibus excipitur in templi limine. Tunc, post solitas preces, & impertitam populo innumerabili à sacerdote augustissimum Sacramentum attollente, pacem ac veniam, felici triduo finis imponitur. Ad alias non Urbis tantum, sed Orbis, ædes sacras manavit exemplum: & quamvis jam inde à primis Societatis incunabulis Macerata, atque alibi fuerit simile quidpiam usurpatum; operis tamen splendor insigni magnificentia peracti anno MDXCV. fecit ut ejus quodammodo natales & primordia Romanæ urbi, & huic anno non immerito adscribantur.

Alce-

Alterum opus, ad pietatem publicam excitandam præclarum, Romæ anno MDCIX. institutum fuit, ex quo fructus admirabiles hodieque ad salutem animarum percipiuntur. Cum sanctissimi Sacramenti veneratione, ac divini panis frequenti usu, religio catholica maximè stet, antiquissimum Societati semper fuit, usum hunc fovere modis omnibus, omni arte promovere. Jam, ut cibus proficit, satius non est, si crebro sumatur; oportet præterea sic illum esse comparatum qui eo vescitur, ut non impune solum uti cibo, sed etiam cum fructu queat: postremo pertinet vel plurimum ad acuendam divinæ dapis famem splendor quidam, & celebritas, quæ solet mortales etiam epulas commendare. Inventum igitur est a Patribus Romanæ domus, approbante vehementer ac laudante Summo Pontifice, quemadmodum hæc tria in unum coalescerent, nempe ut cœlestis mensa piè, frequenter, ac splendide usurparetur. Eam ob rem delectum fuit ex omnibus Romæ templis unum aliquod, ubi singulis mensibus strueretur sacrum convivium insigniori apparatu: proposita convenientibus est venia peccatorum uberior: habitæ demum sunt in eodem templo per istum mensem conciones diebus dominicis, ad præparandos epulo Eucharistico animos accommodata. Magnopere profecit ad alendam pietatem hæc ratio, adeo ut mense quolibet vescientium cœlesti pane multitudinem amplissima capere templa vix possint. Præter sacerdotes quinque aut sex divinum apponentes panem, quod obire ministerium Purpurati sæpe Patres dignantur; alii quidam è superiore loco interim appositis concionculis excitant animos, & faces jam igne cœlesti calentibus admovent. Porro non semper in eadem Urbis regione instituitur ista Communio Generalis (sic enim vulgo nominant.) Consulto mutatur ædes sacra, ut major opportunitas accedendi omnibus præbeatur. Neque vero deserta idcirco sunt alia templa, imo sacris epulis accumbentium major, quàm antea, ubique concursus fuit. Accidit enim in hac Angelorum dape, si rectè sumatur, contra penitus atque in aliis usuenit. Aliæ crebro ingestæ fastidium afferunt: istius experta & degustata suavitas proritat appetitum, & ipsa satiety famem parit. Quamobrem assuevit populus octavo quoque die refici Christi corpore, & corroborata illo fortium panis virtus majora in dies incrementa cepit. Brevi conflata est pia sodalitas, cui nomen inditum à Communionem Generali, & cujus potissimum partes essent tum ut quæ ad cœlestis epuli ordinem, pompam & celebritatem spectant, compararet; tum ut exemplo vitæ, modestia in templis, ac peculiari pietate in divinis mysteriis frequenter & sancte usurpandis, populo præluceret. Hæc generalis & menstrua communio, exemplumque ab Urbe proditum, manavit ad vicinas civitates, fructu non dissimili, & in Europam ferè omnem, aliasque Orbis partes mira populorum approbatione fluxit.

Non ea tantum ratione additus honor est a Societate sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quo præcipuum catholice religionis decus continetur: sed aliis plerisque modis laboratum fuit, ut cum dignitate asservaretur in templis, deduceretur ad ægrotos cum pompa: cum pietate sumeretur. Auxit venerationem divinæ debitam Hostiæ, insigne miraculum, editum anno MDCVIII. & latè divulgatum, in quo celebrando pars aliqua Societatis existit. Haud facile reperias illustrius in hoc genere prodigium, ab Ecclesia Christi condita. Favernum celebris abbatia Benedictinorum est haud procul Vesulo, in Burgundia Sequanorum, quem Liberum Comitatum appellant. Ad ejus templum, Virgini sanctissimæ dedicatum, fieri solet ingens populi concursus eo die, quo Divini Spiritus in Apostolos delapsi memoria feriis anniversariis recolitur. Proposita ibi de more fuerat sacra Eucharistia, in argentea, ut solet, theca, solis orbem referente, radiis prominentibus, & duplici crystallo adorandum ferculum includente. Dispositæ circum ardebant faces, è quibus flamma fericum allambens conopeum, illud sensim noctu, digressis adituis, consumpsit: inde ad ligneum altare prolapsa, totum concremavit cum sacro tabernaculo, cui divina Hostia erat imposita. Hæc mediis in flammis intacta sublimisque, sub umbellæ parte, cui flamma similiter pepercerat, mane apparuit. Attoniti ædis sacre custodes, & religiosa familia, miraculum conclamant. Concurrit populus innumerabilis: Deo

45.  
Communio  
Generalis quo-  
libet mense in-  
stituta.

46.  
Honor sacro-  
sanctæ Eucharis-  
tiæ, & vulne-  
rum Christi,  
propagatus.

quasi spectandi spatium & moram undique confluentibus indulgente. Quippe horas triginta tres, nimirum ab ea nocte quæ sacram Pentecostes lucem excepit, usque ad feriam tertiam, stetit Hostia sacrosancta in aere pendula, cum argenteâ quæ illam includebat thecâ, nullo penitus adminiculo suffulta. Infra illam apposita fuerat mensa sacro tecta linteo, quæ labentem exciperet. Delapsa sensim est circa horam diei ab orto sole quintam, eadem feria tertia, & in supposita carbaso placide confedit. Archiepiscopus Vefuntinus, cujus in diocesi gesta res fuit, convocatis Patribus Societatis, auditis testibus, & totius facti ferie diligenter expensa, miraculum solenni ritu per nostrum concionatorem promulgari iussit medio in foro, quia populi concurrentis turbam nullius templi amplitudo capiebat. Dolani cives cœleste pignus, tam insigni nobilitatum prodigio, in sua invexere mœnia, tanto civitatis obviam effusa gaudio & apparatu, nullus ut excogitari triumphus illustrior venienti Christo potuerit. Ex illo increbuit Dolensis Hostiæ sacrosanctæ fama, quam peregrinorum undique confluentium pietas celebrare pergit. Monachorum Favernensium beneficio ac liberalitate delata sunt in collegium Societatis Vefuntinum sacra linteæ (corporalia vulgo vocant) quæ Hostiæ divinæ fuerant substrata. Sic Deus providentia singulari & benignitate, cum adorandi Sacramenti venerationem ac fidem abolere impietas nitebatur, cœlesti mysterio testimonium luculentum dedit: ut oculis ipsis (quoniam oculis suis impii magis, quàm divinis oraculis credunt) veritas teneretur.

Christi quoque cruciatibus honorandis impensa cura. Venetiis Patres instituerunt sextâ quaque feriâ Quadragesimæ, ut per quinque horas perpetuas, sanctissimo Sacramento in conspectum dato, preces fierent in honorem plagarum quinque Christi JESU; certis hominibus prima hora in statione velut manentibus, tum aliis altera, itemque aliis tertia, & consequentibus deinceps. Aderat sacerdos ante majorem aram nunc stans, nunc genibus nixus; & certa proponebat ad meditandum capita, proposita explicabat fundebatque latius, ut viam quasi complanaret: sub finem addebatur concentus, qui tristi piaque modulatione merorem de Christi acerbissima nece conceptum foveret. Hoc institutum postea propagatum ad alias urbes & provincias; pietate singulari frequentatur in templo Romanæ domus Professorum, conserto illustri sodalicio, cui nomen à *Bona Morte* factum. Sed horas quinque in unam contrahere placuit, ut per occupationes quotidianas liceret pluribus convenire. Finis huic exercitationi piæ ac sodalitati præstitutus, ut *opportunam in Domino mortem* consequatur. Admiserunt preces ad B. Virginem, quæ a Christi Cruce sejungi non potest; & cujus in beneficiis vel maximum numeratur sanctæ & Christianæ mori. Inventa per eam occasionem est Corona vulnerum Christi, sive precepcionum certarum modus & ordo, ad similitudinem Rosarii B. Virginis, appositus ad recolendas grato memorique animo sanctissimas Servatoris plagas. Oblata Paulo V. Pontifici Maximo vehementer ab eo laudata est, editoque mox libello vulgata, primum Romæ, deinde in variis Orbis catholici locis, peculiari Christianæ plebis approbatione usurpata.

S. VII.  
DOCTRINÆ  
CHRISTIANÆ  
RUDIBUS & PUE-  
RIS TRADENDÆ  
CURA, & MODUS.

HAUD scio an alia res ulla magis profecerit ad religionem animis inserendam, & propagandam in dies latius, quàm doctrinæ Christianæ pueris & rudibus tradendæ cura. Hanc vero Societas & ab ortu suo diligenter est amplexa, & summo studio deinceps retinuit. Certe licet in Rotomagensi collegio florent studii litterarum anno MDCIX. & in scholis duo millia selectorum adolescentum numerarentur; licet è superiore loco dicerent ad populum concionatores egregii: nihil tamen majori civitatis gratulatione concursuque celebrabatur, quàm quod in præcipuis novem urbis maximæ templis doctrina sacra per homines Societatis explicaretur pueris, populo, pauperibus, & erronibus quorum ingens, ut in amplissima civitate & nobili emporio, numerus. Antuerpiæ sexdecim in templis eadem a nostris sacra doctrina tradebatur: præsentem interdum antistitem, ac præmia pueris concertantibus dividente. Excogitatum utiliter est a Sociis Dilinganis ut inter munuscula, quibus puerilis ad discendum ardor accenditur, intererent pagellas, quibus contineretur descripta ratio excutiendæ vesperi conscientiæ,

tiæ, instituenda confessionis, assistendi rei divinæ: item affectus pii è præcipuis ducti virtutibus; officia Christiana, cuilibet hominum generi professionique congruentia. Quæ chartæ tam secundo favore sunt exceptæ, ut in remotissimas urbes pervenerint, ac Bambergensis Episcopus non exiguam pecuniæ vim in eas coemendas impenderit.

Socii Contracenses ad faciendam auctoritate publica, & roborandam alicujus pœnæ metu pietatem, quæ sine isto quasi aculeo sepe languet, certas leges ab ipso magistratu statuendas curaverunt, quæ puerorum frenarent levitatem, & parentum ad eos erudiendos diligentiam acuerent. Inita quædam Goæ anno MDXCI. Christianæ doctrinæ rudibus tradendæ ratio paulo illustrior. Diei Dominicæ pomeridianis horis procedebat sacerdos, huic muneri destinatus, præeunte vexillo sacro, & grege puerorum pia carmina concinentium. Ibat agmen compositum per frequentiores urbis plateas, & otiosam multitudinem invitans, ad templum trahebat. Ibi accommodato ad plebis captum sermone, pauca cœlestis doctrinæ capita sacerdos proponens, ea modo ab his, modo ab illis reposcebat; eadem sepe inculcans, donec tardissimi quique se plane omnia percepisse fateantur. Si quis de omnibus doctrinæ Christianæ capitibus responderet expedite, huic laurea titulusque doctoris, cum insigni loco, tribuebatur: qui honos incitamento ceteris, ut idem conarentur, erat. His doctoribus fiebat potestas docendi quæ didicerant, loquendique publice, populo non ingrata, puerorum parentibus & propinquis gratissima. Sic privatæ domus, officinæ, fora ipsa & agri sacris passim sermonibus personabant. Interdum adhibite sunt dialogorum alterne vices, ut interrogandi ac respondendi grata varietate fastidium audiendi levaretur. Et proferuntur decenter à pueris nonnulla, quæ docentis sacerdotis gravitas merito respuat. Masacum missi duo è nostris anno MDXCVI. cum verba facere aggressi essent primis verni jejunii diebus, sibilis raræ coronæ ac prope conviciis excepti sunt. Omissis igitur concionibus, ad catechesim versi, pueros congregant; cumque pueris matres, & cum matribus viros alliciunt ad audiendum. Concertationes instituunt: victores puerulos præmiis & laude multahonestant: veniunt in partem certaminis & gloriæ parentes, & tanquam si seriarer ageretur ac sua, sacras gædes implent, ad quas antea nulla vi rationum adduci potuerant. Ubi paratos auditores & mutatos viderunt Evangelici præcones, tum demum repetite sunt conciones; exprobrata civibus negligentia in salutis negotio; concusse salubri metu mentes; & publica pietas, quæ valde obsoleverat, in pristinum decus restituta. Discessuri Patres idonea fovendæ frugis optime femina reliquerunt, sacra nempe cantica, & odas, quarum non semel est probata utilitas variis in locis, ad Christianæ doctrinæ elementa in rudibus animis auribusque desigenda. Nam præterquam quod numeris memoria juvatur, fit etiam suavitate cantus, ut carmina per avidas aures demissa, in animos altius quodammodo descendant. Huc accedit aliud emolumentum ingens, quod ejusmodi piis versiculis obscenæ cantilenæ, quæ impuram mephitim audientium & canentium animis inhalant, obliterantur sensim & excidunt. Ad proritandam audiendi cupiditatem interdum spectaculi nonnihil adhibetur, quod ita spectantes teneat, ut à majestate nihilominus cœlestis doctrinæ non abhorreat: sic inductis in scenam personis exhibita sepe religionis suere mysteria, & oculis veluti subiecta. Quia vero concertatione homines plurimum delectantur, eaque non parum illustratur veritas, proposite sunt aliquando conclusiones Evangelicæ, quo fere modo proponuntur in philosophorum ac theologorum scholis. Tres quatuorve pueri Christiana placita propugnanda exhibebant, insurgebant ex adverso qui eadem impugnarent: sedebant lecti iudices, qui controversiam componerent. Aliquando leges familiæ recte gubernandæ, ratio peccata sanctè confitendi, accumbendi cœlesti mensæ, & reliqua id genus, explicabantur eadem ratione, magno circumstantis populi & fructu & plausu. Sed ut esset ille fructus diuturnior, mandabantur chartis, quæcumque fuerant explicata, ut observari sepe oculis ac mentibus possent. Ad eundem modum in quibusdam Germaniæ locis, ubi hæresis vigeat, præcipuè rationes, quibus illa solet oppugnari, patentibus foliis impressæ,

preſſe, arma vel imperitiſſimis dederunt, quibus & ferirent adverſarios, & ſe-  
tuerentur laceſſiti.

S.VIII.  
CHRISTIANÆ  
JUVENTUTIS IN-  
STITUTIO IN  
SCHOLIS.

Duo, præter cetera jam expoſita, publicæ privatæque pietatis adminicula,  
Societati noſtræ cordi ſemper & curæ fuerunt: uſus Exercitiorum Spiritualium,  
& inſtitutio Chriſtianæ juventutis. Illud à S. Ignatio inventum: hoc ab eo ſin-  
gulari ſtudio ſuſceptum & conſtitutum: utrumque alumnis ſuis ab ipſo traditum,  
ac ſummopere commendatum. Piis illis meditationibus, & exercitationibus ani-  
mi, magna ubique facta eſt ad privatam & publicam pietatem acceſſio, exculta  
civitates integræ; & inveterata vitia, quæ nullis aliis curari potuerant remediis,  
felicitè ſanata ſunt. Exempla, quia paſſim occurrunt in Societatis annalibus,  
non congeram. Neque diutius immorabor in explicando fruſtu, qui è ſcholis,  
ac bene inſtitutâ pueritiâ colligitur. Et libellus exſtat de hoc argumento, variif-  
que artibus gubernandæ ſcholæ, non ita pridem, in gratiam Magiſtrorum Socie-  
tatis, editus.

47.  
Dignitas & uti-  
litas ſcholarum  
Chriſtianarum.

Neque vero humile quiddam & abjectum eſt inſtitutio puerorum, ut multi  
perperam ſuſpiciantur. Quemadmodum ſapientia, & vera virtus, inter cœleſtia,  
munera principem locum obtinet, ſic eam tradere cœleſte opus & officium eſt.  
Quod ſi, teſte Gregorio Nazianzeno, *nihil tam divinum homo habet, quam de  
aliis bene mereri*, ubi mereri de aliis poteſt melius, quàm ea tribuendo, quibus  
mens humana, depulſis ignorantie tenebris, puriſſima luce colluſtratur; & vo-  
luntas, è vitiorum laqueis expedita, in libertatem vindicatur? Quippe non aridam  
& ſterilem ſcientiam præceptores Chriſtiani, quales Societas ſcholis ſuis præſi-  
cit, tradunt; ſed eam, quæ ſit veræ ſapientie fons, cujus *initium*, & ſumma  
*timor Domini*. Virorum principum erudire liberos, ætatum omnium & nationum  
judicio perhonorificum ſemper fuit: quantum igitur veræ gloriæ & dignitatis ha-  
bet ipſius Dei filios, regni cœleſtis heredes, & candidatos æternitatis erudire?  
Par dignitati ſcholæ puerilis, ejus utilitas. Magnum ſine dubio & perutile eſt  
ſacrorum munus oratorum, qui verba faciunt è ſuperiore loco, & populi for-  
mare mores laborant: illi tamen divinam ſementem ſæpe diſperdunt,  
quia obſtructas hominum aures, ut contritam pedibus prætereuntium viam, ver-  
berant; quia non eoſdem ſemper nanciſcuntur auditores; quia imparatos & ſæpe  
graviffimis cupiditatibus, ut ſpinis, præpeditos habent: interdum pro auditoribus  
obtreſcutores ac cenſores alloquuntur. Contrà, magiſter Chriſtianus iſdem ean-  
dem inculcare doctrinam ſalutarem poteſt: habet à quibus benevolè ſemper, &  
attentè audiatur, qui ex ejus ore nuruque pendeant. Huc adde, quod concio-  
natorum labores atterere vermis quidam & domeſtica labes ſolet, inanis ex ho-  
minum plauſu gloria, cujus illecebras ac periculum obſcuritas ludi puerilis ne-  
ſcit. Neque vero ſcholæ unius, aut exigui temporis quo pueri docentur, angu-  
ſtiſſis fruſtus ille deſinitur; permanat ad puerorum parentes, qui præcepta morum  
a liberis audita percontari gaudent ac ſenſim domi condiſcunt, ut in uno pue-  
rulo familia ſæpe tota erudiatur. Deinde vero ætas proveſtorum guſtum virtutis  
& odorem, quo fuit olim imbuta, retinere diu ſolet. Jam, ſi tantopere utilis  
opera ſapientis magiſtri publicè ac privatim aliis eſt, non poteſt ipſi proſecto  
non eſſe fruſtuosa, cum verſetur in quotidiana maximarum exercitatione virtu-  
tum, quæ cum tanti ſint apud Deum pretii, quantas opes in præceptoris Chri-  
ſtiani ſinum congerent? Hoc habebat perſuaſum P. Joannes Bonifacius, Hiſpanus,  
annos amplius quadraginta verſatus in hoc ſtadio\*. Huic erat germanus frater,  
alumnus religioſi Ordinis; munia concionatoris, doctoris, Provincialis, & ſi qua  
ſunt alia in religioſis familiis honeſtamenta, conſecutus. Ille cum fratrem longo  
intervallo viſeret, miratus eſt ipſum in ludi litterarij pulvere tot jam annos ſe-  
pultum jacere. Siccine, inquit, ætatem tuam, frater, doctrinam, ingeniumque  
contemni? commiſſum oportet aliquid a te gravius, cujus pœnam luas. Cui Bo-  
nifacius ſubridens retulit, magna cenſeri apud nos munia, quæ deſpiceret. Se  
hanc ſcholam theologice, in quibus docere potuiſſet, cathedris prætuliffe. Tum  
fratrem deducit in cubiculum, ac libellum è ſcrinio promit, in quo deſcripta  
legebantur nomina præſulum, procerum, & religioſorum in primis virorum, am-  
plius

\* Obiit Villa-  
garcia 18. Mar-  
tii an. 1606.

plius mille ac ducentorum, qui è sua disciplina prodissent: & His, inquit, radicibus adeo humilibus & obscuris nituntur illæ arbores, quarum fructus ad publicam utilitatem tam longè lateque pertinet.

§. IX. *Variae sodalitates ad pietatem alendam conflatae.*

**N**EQUE vero deserit Societas traditos in suam disciplinam adolescentes, cum ex umbra scholarum velut in solem ac pulverem prodierunt: eosdem adjuvare pergit, quamcumque vitam viam capebant. Eam ob rem instituta potissimum sunt variae sodalitates, quae omnem vivendi conditionem excolendam accipiunt.

48. *Congregatio Clericorum secularium.*

Insignis est anno MDCXI. erecta Neapoli, Clericorum secularium vulgo nuncupata. Illius conditor P. Franciscus Pavonus, ad fovendam Cleri pietatem divino consilio destinatus, ut hæc sodalitas, & editi ab eo libri docent. Principio sacerdotes nonnullos incendit cupiditate intelligendæ sacræ Scripturæ, pollicitus fore ut ipsis eam, si convenire vellent, explanaret. Convenire. Datus est locus multa inferendi, quæ ad obsequia, ut par est, sacerdotalis ministerii partes varias pertinebant: quæ cum attente & cupide audirentur, placuit unum quendam consilium cœtum, in quo non tam de sacrarum explanatione literarum, quam de moribus institutisque sacerdotum ageretur.

Triginta primum coire, ac paucis mensibus trecenti. Expositioni divine Scripturæ, quo velut hano perducti erant, adjuncta est rerum divinarum privata contemplatio: hinc sacer ignis videlicet exarsit: ignem est comitata lux, qua unusquisque status sacerdotalis dignitatem, onera, & pericula conspexit. Confluxere brevi ad illustrem cœtum doctores utriusque juris amplius octoginta, parochi, moderatores cœnobiorum, canonici complures. Inter quos sacerdotes annis & probitate venerandus, tanta est voluptate delibutus, ut vocem tollens medio in confessa, Deo immortales gratias egerit: deinde Cardinali Octavio Aquavivæ Archiepiscopo Neapolitano, quod ejus hortatu tam utilem sodalitatem esset ingressus: ac demum Patri ejusdem sodalitatis moderatori, quod ex eo tunc primum didicisset rationem rite sacrificandi: hoc enim de argumento Pater dissererat. Nec dubitavit affirmare palam, se à tot annis nondum rem divinam, uti decebat, peregrisse: idque non sine lacrymis testabatur. Bis qualibet hebdomada in unum conveniebant pomeridianis horis. Post piam precationem, a qua ducebatur semper initium, & in quam confessus definebat, legebatur nonnihil è pio libro, de sacerdotum officiis conscripto: mox caput aliquod moralis theologiæ proponebatur ab uno è sodalibus, deque illo graviter, ac sine alteratione concertabatur: tum sacerdos noster verba faciebat de certa parte Ecclesiasticæ vitæ ac muneris: exempli causa, quo pacto sint excipiendæ confessiones; quid in eo peccari possit; quid rectè atque utiliter fieri; que ratio tenenda in explicandis populo doctrinæ Christianæ rudimentis, in sacris concionibus habendis, in precibus recitandis, in adjuvandis erudiendisque partibus familiaris, servis, vinculis, ægrotantibus, egenis, quæcumque demum calamitate oppressis. Iis enim omnibus dux, medicus, doctor, parens, iudex, & pastor esse sacerdos debet. Postremo tradebat Pater meditandi argumentum in singulos dies hebdomadæ, idque fere comparatum ad inflammandam cupiditatem juvandam & servandarum animarum: cunctis verò tam alte in animo defixa hærebat necessitas pie meditationis, ut nihil esset unicuique prius, nihil antiquius, quam horam partem dimidiam saltem quotidie in ea collocare: tum quotannis obire per octo dies spiritualia S. Ignatii Exercitia; eaque lex omnibus imposita sodalibus communi consensu fuit: imo constitutum, ut nemo in hunc sacerdotalem cœtum cooptaretur, quin prius operam piis ejusmodi commentationibus dedisset.

Quem quisque porro sensum pietatis hauserat in privata rerum cœlestium contemplatione, illum communicabat cum aliis sodalibus in familiari, quando congregabantur, colloquio, ubi nativa & sine fuco

pietas, quidquid occurrebat, velut incomptum illaboratumque fundebat. Illud erat in primis cura ut singula veluti subicerentur oculis, quorum præcepta fuerant in aures demissa: quoniam in istis rebus plus multo usu & actione, quam præceptione proficitur. Itaque unus quispiam verba faciebat ex æquo & plano loco, ad eundem modum quo fieri de superiore loco solent; alius Fidei explicabat elementa: fumebat alius personam & locum sacerdotis penitentium confessiones excipientis; alius adesse morienti fingebatur, & quæ supremum illud tempus postulat, suggerere. Iis peractis, quid peccatum foret vel indicabat ipse Pater, vel a sodalibus reposebat. Ex hac palestra prodierunt sacerdotum ministri excellentes, qui Christianæ legis intelligentia, pietatis ardore, morum integritate, Neapoli, ac toti etiam Italiæ, ornamento pariter & exemplo fuerunt. Uno è Summis Pontificibus sodali olim suo cœtus ille sacer gloriatur, Cardinalibus decem, Præsulibus centum octoginta; sacerdotibus plurimis, non vulgarem adeptis opinionem eximie probitatis. Anno MDCCV. sodales quadringentos sexaginta duos numerabat.

49. *Alia quedam sodalitia, præsertim B. Virgini dedicata.*

Haud minus est in ludimagistris, quam in sacerdotibus, prædii ad informandas optimis moribus civitates. Teneram ætatem, ut arbusculam fragilem, & nondum suis nitentem viribus, si negligas, quem ab annis provectioribus fructum spes? Id secum reputans Societatis sacerdos, simulque intelligens artium longe difficillimam esse artem gubernandi homines, etiam puerulos, conscripserat methodum, certasque scholæ puerilis moderandæ leges, quibus ludimagistri omnes uterentur: hæc ingens eorum est numerus Neapoli: amplius trecentos centeni narrant. Vitus est libellus momenti non levis, & Neapolitanus Archiepiscopus conscriptas in illo leges omnibus puerorum institutioni præfectis observandas proposuit: id quod videmus in plerisque conciliis fuisse præscriptum, & à sanctissimis usurpatum præsulibus. Majus quiddam anno MDCXII. ad eorumdem magistrorum utilitatem tentatum est. Instituta in eorum gratiam in collegio Neapolitano sodalitas fuit, & adjuncta quasi appendix sodalitiæ sacerdotum, de quo proxime facta mentio.

Quenam ab aliis sodalitatibus, quæ in collegiis Societatis honori Beatissimæ Virginis & cultui addite sunt, oriantur in publicam rem utilitates, dictum est superiore libro. Quanti vero illas semper fecerint insignes genere, pietate, ac doctrina viri, non semel est declaratum. Nitrænsis antistes Divinæ Matri dedicatam in Sellienti collegio sodalitatem, cujus fundamenta jaciebantur, non presentia solum sua ornavit, verum etiam nomine; quod in album sodalium referri primo omnium loco voluit. Sedis vero Apostolicæ Nuncius, & Archiepiscopus Pragensis, dum Commotoviensæ collegium inviserent, ubi pariter condebatur Deiparæ sodalitiæ, anno MDCII. gloriosum sibi duxerunt novum hunc in cœtum aggregari. Eodem anno Sabaudie Dux, pro suo singulari erga Deiparam & Societatem studio, contulit se in collegium Taurinensæ, una cum quinque filiis, quo die Virgo Mater concepta sine criminis ingeniti labe colitur; inde sodalitiæ, cui adscriptus olim ipse fuerat, ingressus, filios tres natu ceteris grandiores, in sodalium indicem referri iussit; ac natu maximum sodalitiæ patronum renunciavit. Omitto præsulum illud decus, S. Franciscum Saleisium, qui Parisiæ sodalitatæ præfecturam anno 1586. gessit: illud eruditorum clarissimum lumen Justum Lipsium, sexcentos alios insignes genere & virtute viros, qui tantum honoris ab istis Deiparæ cœtibz acceperunt, quantum in eosdem postea refuderunt.

§. X. *Navata per Societatem opera illustribus aliquot viris ad catholicam religionem convertendis.*

**S**UBJUNGAM huic libro, insar corollarii, certos homines, insigni quodam modo ad veritatem catholice Fidei ab errore traductos, Dei benignitate, & opera Sociorum, haud sine peculiari Religionis ornamento.

50. *Philippo Canayo.*

Philippus Canayus à Fraxinis, pro Calvino steterat annos amplius triginta, neque ullis sumptibus, periculis, & laboribus pepererat, ut partes impias tutaretur ac propagaret. Quibus rebus tantam apud Calvinum discipulos auctoritatem consecutus erat, ut, illis postulantis, interfuerit cum proceribus delectis, colloquio celebri, cum Perronio, tunc Ebroicensis Episcopus, postea Cardinalis; & Plessæo-Mornæus anno MDC. de religione disputaturi convenerunt. Quo in certamine Mornæus Calvinum defensor, à catholico antistite tam male acceptus fuit, ut plerique ab eo & novitia religione desciverint. Ex iis Canayus exstitit, eoque nomine ipsi Clemens Pontifex amplissimis literis est gratulatus. At Henricus IV. Franciæ Rex, veritus ne pristinus hæreticorum erga Canayum amor mutatus in furorem, ob ejus receptum ad Catholicam religionem, aliquid ipsi crearet in Gallia periculi, eundem ad Venetos Oratorem suum misit; ipsius fidem ac prudentiam in Anglica & Germanica legatione, allisque gravissimis negotiis dudum expertus. Ibi Canayus erroris prestigia à P. Ant. Possævino diligentius didicit; ab iisque ut familiam suam revocaret impense laboravit. Resistebat uxor, fiducia quadam ingenii male pertinax. Huic demum idem Possævinus hæresim eripuit ejusque filie. Tum ambas auctoritate Apostolica pridie Kalend. Octob. MDCII. Ecclesie catholice reconciliavit.

51. *Moscoviae Principi.*

Magnus in Moscoviæ ac Poloniæ theatrum actor anno MDCIV. prodiit, personam, ut postea cognitum est, non suam acturus. Nomen illi Griska, ortus nobilis, professio religiosa; habitus oris, totiusque corporis simillimus Demetrio Principi, filio Joannis Basilidis, ante triennium caeso, ut supra (num. 24.) narravimus. Griska igitur, oris illa cum Demetrio similitudine, ac sagacitate ingenii ad spes amplissimas erectus, venit in Lithuaniam, ibique nobili Polono persuasit se Demetrium esse, Basilidis filium, neci additum quidem à Boride, sed ejus immanitati subducum, caeso in ipsius locum adolescente persimili. Addidit, si paternum in solium restitueretur, se catholice religionis liberè in Moscovia profitendæ potestatem facturum. His ut majorem faciat fidem, Patribus Societatis erudiendum se tradit, deponit Græcicum schisma, & in verba Romanæ Ecclesie jurat. Incensus præclara spe Polonus, adhibitis in consilii & periculi societatem amicis, ingentem scribit exercitum; Boridi bellum indicit, quem anno sequenti conceptus de rivalis incredibili successu moror extinxit. Sublato æmulo Griska vacuum regni possessionem adiit duodecimo Kal. Sextiles MDCV. Vocavit in Moscoviam Societatis Patres, & operam restituendæ, uti promiserat, religioni catholice navare cepit. Verum gravibus improborum odiis eam ob rem insidiosis vexatus, illorum tandem conspiratione perit, nono die post celebratas insigni apparatu cum catholica conjuge nuptias VI. kal. Jun. anni MDCVI. Patres vinculis ærumnisque macerati, agrè demum in libertatem vindicati sunt.

52. *Matrone hæretica.*

Difficile sit inire numerum eorum, quos hæresim laqueis, in Germania potissimum, Dei per fervos suos benigna manus expedit. Exempla sparsim allata sunt, pauca quædam velut anales, subdò. Pertinere putant protestantes ad Christianæ doctrinæ splendorem, ut cerdonibus ac mulierculis facultas jusque tribuatur de sacris litteris, & reconditis theologiæ arcanis disputandi. Hanc facultatem liberaliter usurpabat hæretici conjux non inepta nec hebes mulier. Sacra Biblia, ut unguis

digitosque suos, norat; purum putumque Evangelium ubique crepans, magno imperitorum plausu. Exultantem repressit unus è nostris, affirmans haudquaquam purum & merum Evangelium isthuc esse, ac Lutherani opinionibus permixtum, quas veterator improbus in locum veræ ac germanæ scripturæ inseruisset. Negat hoc illa præfractè; nec dubitat, multis audientibus, facere professionem ea lege, ut si res ita se haberet, catholicorum in partes transfret ipsa: sin esset fecus, nos in Lutheranos juraret. Accipit conditionem Theologus Catholicus. Biblia conferunt. Deprehenduntur ipsi oculis Lutherana plena fraudis ac male fidei, manca, mutila, corrupta. Obstupuit sagax & acuta mulier, stetitque promissis, indignum rata illis dicentibus credere, quorum ipsi libri, & muta monumenta mentirentur.

53. *Ioanni Comiti Nassavio.*

Non leve in Belgio catholicis partibus ornamentum addidit Comes Joannes Nassavius, Mauriti Comitis propinquus. Clam ad nos Hagæ Comitibus Lugdunum Batavorum profectus erat, sacramentorum causa. Latere suos non potuit. Iniquissimo animo tulere quod solus e gente Nassavia Romanam Fidem seclaretur: quo factio inultum familie nobilissimæ ingens dedecus arbitrabantur. Quibus ille contra affirmavit, restitutum per se vitam Nassavorum gloriam, cujus obscuraverat splendorem Araucorum Princeps, qui ex ea gente primus ignotam suis majoribus novitatem fecutus erat; obulitque parenti suo P. Leonardi Lessii conscriptum egregie commentarium, in quo institutum veluti consultatio de amplectenda religione. Hunc in Germanicum sermonem ex Italico veterat: ac sua manu quem elegantissimè descripium asserabat; quo probaret, merito se iis rationibus impulsionem ad avorum Fidem remigrasse. Iisdem rationibus, que Fidei catholice veritatem prudenti cuilibet omnino persuadent, convicta, & à Spiensibus Sociis per otium instituta, vidua Jacobi Marchionis Badenensis, nunciis remisit perfissis erroribus, & virum imitata in catholica communionem paulo ante mortuum, sacramenta in templo Societatis piè usurpavit.

54. *Duci Neoburgensi.*

Haud minori fortitudine Fidem pariter catholicam professus est Ducus Neoburgensis filius, Wolfgangus Wilhelmus. Duxerat uxorem catholicam, que duos Societatis sacerdotes habebat secum, alterum à sacra confessione, alterum à concionibus. Ex iis est princeps adolescens hæresicos inanitates cognovisset; aperire se tamen haud ita commode poterat, parentis hæretici metu. Ergo kalendis anni MDCXIV. profectus est Dusseldorpium, quasi vicinum Principem officii causa visurus. Ibi magno bonorum omnium plausu excepti, qui cum ipso venerant Patres statim dicere ad concionem aggressi sunt: quamvis Princeps Brandeburgicus, & Calviniani fremuerent, eorumque munia inturbare miris modis conarentur. Illuxerat sacra Divinæ Trinitatis lux. Hæc Principi Neoburgensi visa est aptissima ut fortiter publicam in lucem proferret, quod prudenter hætiens dissimulaverat. Edidit Fidei catholice professionem in oculis totius civitatis. Verba fecit de veræ Ecclesie signis P. Jacobus Rehinus. Nec multo post exiit eodem auctore Latinus liber, inscriptus *Muri civitatis sacre*: in quo Romana Fides & Ecclesia, duodecim firmis quasi muris & propugnaculis munita, describuntur. Rediit Princeps domum & mortuo paucis post mensibus (Die 12. Augusti 1614.) patre, qui filium à sententiâ profitendæ religionis catholice deducere nunquam potuerat, edictum promulgavit, quo suis omnibus potestatem liberrimam Romana complectendi sacra & exercendi faciebat, pena impediens & obtrudantibus constituta. Mox facti sui causas sapiente scripto publicè proposuit: demum Societati sedem Neoburgi & collegium, ut Libro XV. retulimus, donavit.

